AVSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS, AC DOMINI
DN. FRIDERICI AVGVSTI
PRINCIPIS REGII, ATQVE ELECT. SAX. HEREDIS ETC. ETC.
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI



DISSERTATIONEM

DE

CLERICO CLERICVM NON DECIMANTE

Ad Cap. II. X. de Decimis

SVB PRAESIDIO

CASPARIS HENR. HORNII, ICti
ATQVE ANTECESSORIS, POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS
ET ELECTORIS SAXON. IN SVMMO PROVOCATIONVM
SENATV CONSILIARII, ET COLLEGIORVM, QVAE
VITEMBERGAE SVNT, VT ET IVDICII
PROVINCIALIS INFERIORIS LVSATIAE
ASSESSORIS

III. KAL. MAII. M DCC XVI.

PVBLICE TVEBATVR


IN AVDITORIO ICtorvm

RESPONDENS

IOHANNES FRIDERICVS Seyfried
LEISNICA MISNICVS.

EDITIO II. AVCTIOR ET CORRECTIOR.

WITTENBERGAE, Literis GERDESIANIS. 17[illegible]



DE
CLERICO CLERICUM NON DECIMANTE.

§. I.

INter alia argumenta, quæ juris Canonici Commentatores tractant, non exiguam, vel infimam partem occupat illud, quod de DECIMIS agit: eo maiori studio ab iis excussum, quod haud levia emolumenta continet, quæ ad illos pertinent, qui ecclesiæ ministeriis præsunt. Quæ emolumenta cum apud illos, qui puriorem Evangelii doctrinam profitentur, quamplurimis in locis verbi divini ministris hodie quoque relinquantur: non minima & hæc juris ecclesiastici pars est inter Protestantes, quæ ab illis, qui in schola, & foro artem juris docent, vel discunt, vel in usum deducunt, neutiquam negligenda. Ob hancce causam nobis constitutum est, non quidem integrum amplissimum hoc argumentum, quod præter illos, qui ad titulum Decretalium de *Decimis* commentati sunt, vel Canonicum jus *Ingressus.*

 uni-

universum tradunt, data opera seorsim excusserunt, *Andreas Hispanus*, *Alexander Moneta*, *Iohannes Petrus Moneta*, *Iohannes Richardus Ossanaus*, *Petrus Rebuffus*, *Tyndarus*, *Iosephus Iustus Scaliger*, *Iohann Werndle*, *Henricus Habnius*, *Christoph Ludovicus Ditherus*, aliique, sub examen revocare, sed unicum tantum quæsitum: *an & in quantum Clericus a Clerico decimas exigere queat?* discutere in præsenti dissertatione. In quam rem ut deveniamus, præmittenda quædam sunt.

§. II.

Vis vocis. *Decimæ*, si nativam vim vocis spectes, nihil aliud sunt, quam *cujusque rei decima pars.* Apud veteres sæpius τὸ *decima*, *decuma* legitur. *Sext. Aurel. Vict. in Orig. Gent. Rom.* decimam pecoris, decimam fructuum memorat. *Ulpian. in L. 2. ff. de pollicit. de decima bonorum* agit. *Cicero* passim, *in Orat.* præsertim *in Verrem VIII. c. 42. 147. 148.* promiscue & *decumæ* & *decumarum* voce utitur. Seculis mediis in numero plurium τὸ *Decimæ* magis in usu esse cœpit, idque in jure Canonico frequentissimum est: quamvis non desint loca, ubi & *decima* in singulari dicitur. *Cap. 7. 15. 17. X. de decim.* Dicitur inde *decumanus ager* apud *Ciceronem Lib. 2. de finib.* ex quo decima pars fructuum penditur. *Decumanum* frumentum apud *Cicer. Orat. VI. in Verrem Cap. XI. Decumanus*, vel *Decumani* h. e. Principes & quasi Senatores publicanorum. *Cicer. Orat. VII. in Verrem Cap. CLXXV.* Natum quoque ex eo τὸ *decimare*, quod tum decimam exigere, tum pendere significat. *Decimari* olim milites dicebantur, quum solvendæ pœnæ causa, quam omnes debebant, decimus quisque interficiebatur. *Sveton. in August. Cap. 24. in Galba Cap. 12.* Interdum & in deditos

Deci-

Decimatio ſtatuebatur. *Tacit. Lib. 1. Hiſt. Cap. 37.* Quemadmodum autem *decima*, vel *decima* omnis quota cujuscunque rei dici poteſt, atque dicitur, a quocunque demum exigatur, vel præſtetur, aut cuicunque, vel a quocunque debeatur; ita hoc loco de illis decimis tantum ſolliciti ſumus, quæ eccleſiis, eorumque miniſtris debentur, qui vulgo *Clerici* appellantur.

§. III.

Decimas haſce varie definiunt Doctores. *Lancell. Lib. 2. Inſt. tit. 26. §. 2. decimam*, ait, *eſſe quotam bonorum mobilium portionem, DEO tam divina, quam humana conſtitutione debitam. Caniſ. ad. tit. X. de decim. Cap. I. §. 6.* dicit, *eſſe partem decimam omnium eorum, quæ quis licite quavis ex cauſa acquiſivit, miniſtris eccleſiæ exſolvendam. Tellez ad Cap. 6. de decim.* ait: *eſſe quotam fructuum, vel lucri portionem DEO debitam.* Alii aliter. Omnes tamen illæ definitiones eo redeunt: eſſe *decimas partem quandam bonorum licite quæſitorum, DEO, vel ejus miniſtris debitam ab hominibus. Lancell.* in ſua definitione originem decimarum comprehendit, nempe divinam & humanam conſtitutionem. Quem & hac parte ſequitur B. *Brunnemannus* religioſiſſimus ICtus, qui jure divino & humano decimas debitas eſſe affirmat, *Lib. II. Iur. Eccleſ. Cap. 6. § 1. & 2.* De jure humano, vel conſtitutione humana nemo dubitat, quamvis, ut mox videbimus, non ubique hominibus placuerit, decimas eccleſiæ miniſtris relinqui. De jure tamen divino res non adeo expedita eſt, nec ſine diſcrimine aliquid affirmari, vel negari poteſt; ſed opus eſt, ut recte diſcernamus ea, quæ in hanc rem afferri ſolent.

Definitio Decimarum.

Decimæ an juris divini sint?

§. IV.

Age itaque paucis videamus: num jure divino *debitæ decimæ sint DEO, vel ecclesiæ ministris?* Equidem quod ad ipsum DEVM attinet, ille decimarum non indiget. Omnia enim ejus sunt, quæ in toto orbe terrarum continentur, ac ipsius in arbitrio est, qua ratione res creatas a se, & ex illis natas distribuere, & in quem usum convertere velit. quorsum pertinent loca *Psalm. XXIV, 1. & Ps. L. 9. seq. Esai. LXVI, 1. 2.* Placuit tamen divinæ sapientiæ, interdum exigere quædam ab hominibus ex illis bonis, quæ largissima ejus manus præbuit, tum ut hominum obedientiam, gratumque animum experiretur, hominesque eum tanquam supremum dominum agnoscerent, tum etiam, ut et pauperibus, et illis consuleret, qui cultus divini causa ministeria præbent, cultusque etiam ipse divinus externus recte, & ordine secundum ejus voluntatem instrueretur. Itaque res eo redit, utrum DEVS optimus maximus per legem quandam exegerit ab hominibus, ut decimam, vel aliam quandam partem præbeant ad instructionem divini cultus, & in usum eorum, qui sacra ministeria obeunt? Qua parte, ut recte procedamus, ante omnia leges divinas distingvere par est. Et primo quidem, si de illo jure, quod ad omnes omnino homines pertinet, sive jus naturæ, vel connatum nobis, sive revelatum sit, quod utrumque vulgo lex moralis dicitur, quoniam omnium hominum mores dirigit, quæratur; quæstio, simpliciter nec negari, nec affirmari potest. Scilicet, ut verus de DEO sensus, atque ejus cultus inter homines conservetur, omnino opus est, ut sint inter homines, qui doceant, & exponant voluntatem divinam, aliaque

obeant

obeant munia, quæ divina ſapientia circa religionem inſtituit. His rebus quondam patresfam. ipſi, imo etiam Reges defuncti ſunt, *Geneſ. IV, 26. Gen. XIV, 18.* Sed ſegregavit poſtea divinum Numen in populo ſuo ſacrum miniſterium, ſeu ſacerdotium a civili poteſtate: atque id apud alias gentes quoque factum, quæ in ſocietates civiles coivere, quum haud commode in cœtu numeroſiori ab aliis hæ res tractari poſſint, quam qui illis ſolis deſtinantur. Placuit etiam divinæ ſapientiæ, ut ſub Chriſtianiſmo hæc diſtincta ſint, & maneant: atque Chriſtum legimus ſtudioſe Apoſtolis ſuis inculcaſſe, ut nullis aliis rebus ſe immiſcerent, ſed ſolis illis, quorum cauſa mittebantur, propagandæ nempe doctrinæ a ſe traditæ, baptizando, remittendo, & retinendo peccata, unice vacarent, *Matth. XX. 25. c. ult. v. ult. Luc. X, 4. c. XXII, 25. 26. Iohann. XVIII, 36. 2. Tim. II, 4.* Vti e contrario utriusque fœderis tempore ſacerdotium intactum voluit DEVS, nec civilem poteſtatem illi ſe immiſcere. *1. Sam. XIII, 9. ſeq. 2. Chron. XXVI, 16. Matth. XXVIII, 18. Luc. X, 16. Iob. XX, 21.* Quo tamen ipſo civili poteſtati quoad regimen externum nihil detractum eſt. de qua re agitur in Præſidis *Iur. Publ. Prudent. Cap. XLI, §. 7.*

§. V.

Quoniam itaque illi, qui ſacerdotio deſtinantur, & illud obeunt, magnos labores ſubeunt, omnium illorum cauſa, quos inſtruunt doctrina cœleſti; imo etiam, dum his rebus diſtringuntur, aliis vacare nequeunt, unde illa conquirant, quæ ad vitæ ſuſtentationem ſibi ſuisque neceſſaria ſunt: recta ratio docet, omnino æquum eſſe non tantum, ſed etiam neceſſarium, ut labores illorum præſtatione neceſſariorum penſentur, *Præſtandum aliquid Eccleſiæ miniſtris.*

cum

cum alioquin unum horum futurum sit, ut, dum aliunde sibi prospiciunt, vel deserant, vel negligenter saltem faciant officium, vel fame pereant plane. *Deut. XXIV. 4.* Quorsum pertinet dictum Christi *Matth. X, 10.* dignus est operarius cibo; & Apostoli Pauli *1. Cor. IX, 7. seqq. I. Timoth. V, 18.* præsertim *1. Cor. IX, 13. seqq. Nescitis, quod, qui in sacris operantur, quæ de sacrificio supersunt, edant, & qui altari deserviunt, cum altari participent; ita & Dominus ordinavit his, qui evangelium annunciant, de evangelio vivere.* Vt adeo ex lege morali omnino sit, præstari aliquid ecclesiæ ministris pro labore, quem sacris rebus impendunt.

Non vero præcise decima. Vtrum vero præcise decima pars, vel alia, & quænam bonorum, vel qualium dari, & offerri debeat ministerio sacro? illud nec recta ratio, vel jus naturæ determinat, neque ullibi in jure divino universali positivo revelatum legimus. Quod enim in variis locis juris Mosaici *Lev. XXVII, 30.* ubi omnes decimæ fructuum Domini esse dicuntur, *Num. XVIII, 21.* ubi DEVS filiis Levi, qui inter Israelitas possessiones nullas accipiebant, omnes decimas Israelis assignat, de præstatione decimarum habetur, id ad leges populo Judaico seorsim latas, atque adeo ad jus divinum particulare spectat, cujus omnino est præstatio decimarum. Placuit etiam sanctissimo Numini varia constituere circa has decimas Quo referas, quod Levitæ decimam decimarum summo Pontifici præstare debebant inter reliquos sacerdotes distribuendam. *Num. XVIII, 26. 28. Nehem. X, 38. Josephus Lib. IV. antiquit. Judaic. cap. 4. Hospinian. de Orig. bonor. Eccles. c. 3.* Pariter huc spectat, quod de comedendis decimis in conspectu Domini ab illo, qui decimas præstat, *Deut. XII, 17. cap. XIV, 23. it.* de usu decimarum

Quæ ad jus divinum particulare pertinet.

ad

ad pauperum, viduarum, pupillorum, & peregrinorum inopiam sublevandam a DEO jussum. *Deutr. XIV, 28. cap. XXVI, 12.* Imo etiam DEVS ipse exactionem decimarum inter Jus Regium retulit, *1. Sam. VIII, 15.* de quo *Ziegler. ad Grot. Lib. 1. c. 4. n. 3.*

§. VI.

Equidem nos non fugit, aliter viros etiam magni nominis sentire, atque tum ex ipso sacro Codice, tum ex moribus gentium universalem quandam obligationem ad præstandas decimas deducere velle, & inter hos *Marcum Antonium de Dominis Lib. IX. de Republ. Eccles. c. 2. n. 1.* & communem fere scholam Canonistarum. Quorsum trahunt factum *Abrahami*, qui *Melchisedeco*, *Abrahamo* benedicenti, decimas obtulit, atque dedit, *Gen. XIV, 20. Hebr. VII, 2.* nec non *Jacobi*, qui DEO decimas vovit, *Gen. XXVIII, 22.* atque existimant, illud, vel quasi DEO sic inspirante, ac cordibus eorum revelante, decimas præcise esse offerendas, factum esse, vel ob legem quandam jam ante existentem, omnesque gentes ad hanc obligantem præstationem. Vti etiam apud varios scriptores legimus, gentiles quoque, quos cura religionis tetigit, decimas Diis suis solvisse: qualia exempla collegit *Canisius Cap. 1. ad tit. X. de decim.* Quorsum etiam pertinet locus *Victoris* supra excitatus: *Cum antea moris esset, uti homines decimam fructuum Regibus suis præstarent, æquius sibi, ait, videri, (Recaranus) DEOS potius illo honore impertiendos esse, quam Reges.* Sed nondum inde consequitur universalis obligatio quædam, quæ ad omnes pertineat homines ratione decimæ præstandæ. Nam quod ad *Abrahamum*, & *Jacobum* attinet, series sacri textus satis docet, illos ex libera voluntate decimas obtulisse, & vovisse; nec ullius necessitatis vestigium appa- **Dubia solvuntur.**

ret. Nec etiam ullibi de lege quadam positiva divina universali quicquam habetur: & si lex talis jam tempore *Jacobi* extitisset; quid opus fuisset voto? cum illa voto promittantur, quæ ex libera voluntate pendent, non quæ lege debentur. Quod vero decimæ apud Ethnicos etiam cognitæ, & in usu fuerint, nec juris naturalis, nec legis positivæ universalis necessitatem, nec institutum omnium gentium, vel conventionem plurium populorum, infert; sed a Judæis, ut alia, ad gentes alias institutum hoc translatum est forte, aut libero illarum arbitrio debetur. Plane in novo testamento hujus necessitatis nullibi mentio fit, idque ipsis fatentibus Romanæ Ecclesiæ addictis: nec *Paulus* ullibi, quando eleemosynas exigit, vel commonet Christianos, ut Ecclesiæ ministris de necessariis prospiciant, vel id factum esse memorat, decimas postulat, vel mentionem earum facit. Ac licet *Polydorus Virgilius Lib. VI. de invent. rer. c. 14.* decimarum obligationem a Christo *Matth. XXIII, 23.* comprobatam esse, affirmet, dum, postquam Pharisæos increpasset, quod decimarum præstationem cum rigore observent, majora tamen legis negligant, addit, *hæc oportet fieri, ac illa non omitti:* nihil tamen id obest sententiæ nostræ. Nam Christus loquebatur ex hypothesi legis Mosaicæ, quæ illo tempore in agone quidem constituta, nondum tamen inter Judæos emortua, & sepulta erat. Nihil vero a Christo dictum legimus, quod legem de decimis præstandis innueret moralem. Quales quidem leges a Christo noviter latæ *) non sunt, sæpius tamen explicatæ, ac a fermento Ju-

*) Leges a Christo novas latas esse adversarii probant ex *Joh. 13, v. 4.* Sed ibidem Christus loquitur non de præcepto novo instituto, sed de renovato, & pristino nitori restituto. Præceptum de dilectione proximi jam

to Judaico repurgatæ, ceu Theologi noſtri adverſus Pontificios, & Socinianos paſſim docent. Plane & multi ex Canoniſtis ingenue fatentur, obligationem ad decimas juris divini, univerſalis ſcil. non eſſe *Zaſius Tit. de decim. num. 2. Azor. Inſt. Mor. P. I. L. 5. c. 17. L. 2. c. 23. Covaruv. Lib. 1. Reſol. 17. n. 3. Tellez ad Cap. 32. X. de decim.* & qui ab eodem allegantur. *Werndle de Decim. c. 5. & 6. Paulus Sarpius in Tract. de benefic. art. 21. quæſt. 1.* Conf. e noſtratibus *Ziegler. ad Lancell. Lib. 2. c. 26. §. 2. & de Diacon. cap. 13. §. 12.* Interim tamen nemo negabit, non culpandos eſſe illos, ſed bene agere, qui ad imitationem legis divinæ Moſaicæ, quæ a ſapientiſſimo Legiſlatore profecta eſt, decimas perſolvunt, vel ſi civili poteſtate polleant, expedireque id eccleſiæ, reipublicæve, exiſtiment, jubent decimas præſtari; nec peccare, qui decimas oblatas accipiunt, aut præſtari juſſas petunt, & exigunt. *Conf. B. Stryk. ad Brunnem. Jus Eccleſ. Lib. 2. c. 6. §. 2. p. 396.*

§. VII.

In Chriſtiana eccleſia uſum decimarum antiquiſſimum eſſe, nemo dubitabit: quando autem, & qua ratione cœperit? incertum. Equidem *Canones Apoſtolorum, & Conſtitutiones Apoſtolicæ*, quæ circumferuntur, atque vulgo *Clementi* tribuuntur Pontifici, auctori, vel collectori, jam mentionem injiciunt primitiarum, & decimarum. *Vid. Canon. Apoſtolicus IV. & Lib. 2. c. 25. Lib. 7. c. 30. Lib. 8. c. 30.* conſtitutionum Apoſtolicarum apud *Labbeum Collectionis Concil. Tom. I.* Sed quoniam iſta omnia ſubleſtæ fidei ſunt, nec ad ætatem Clementis pertinent, ut *a B. Zieglero Præfat. Jur. Can. ad Lancell. §. 7. ſeqq. & 14.* nec non *a Gerbardo von Maſtricb Hiſtor. Jur. Eccl. p. 98. 119.* poſt alios eſt egregie oſtenſum, hiſce non immora- Status Eccleſiæ primitivæ.

in V. T. & tota ſecunda tabula Decalogi eſt propoſitum, vid. *Lev. 19. v. 18. Matth. 22. v. 39. 40. conf. Epiſt. Joh. 1. c. 3. v. 11. & Ep. Joh. 2. v. 5.*

morabimur. In historia primitivæ ecclesiæ, quatenus ex libris novi Testamenti illius facies cognosci potest, nihil ut diximus, legimus de decimis; sed potius edocemur, ecclesias, quibus bonorum communio placuit, ut *Hierosolymitanæ Act. II. 44. IV, 32.* ab initio, ex bonis his communibus, alias vero, in quibus rerum proprietas singulis permansit, ut de Romana ex *Rom. XII, 8.* Galatarum *Gal. VI, 6.* Ephesinorum, *Ephes. IV, 16.* Thessalorum *1. Thess. II. 7. & IV, 6. II. Thess. III, 8.* constat, ex oblationibus spontaneis, ex quibus ærarium ecclesiæ jam tum constituebatur, ut videre est *Rom. XV, 26. Gal. VI. 6. 1. Cor. XVI. II. Cor. VIII. & IX.* Apostolis stipendia, & sumtus suppeditasse, ut se & familiam suam sustentarent, & victum, & amictum omnisve generis bona haberent, ut aperte constat ex Epist. Pauli *ad Philipp. Cap. IV, 15. 16, II. Cor. XI, 8. Gal. VI. 1. Tim. V, 17. 1. Cor. IX. v. 12. 15.* quamvis, interdum etiam Apostolum Paulum a *Corinthiis*, & *Achais* nihil accepisse, *II. Cor. XI, 7. seqq.* & sua quoque ex opera sibi victum quæsivisse, *Actor. XVIII, 3. 2. Thess. III. v. 8.* constet. Legimus etiam, singulos Christianos interdum Apostolis necessaria suppeditasse. *Act. XVI, 15.* Porro ex aliis scriptis, usque ad tempora Constantini Magni, nihil invenimus productum de decimis, nisi quod *Origines* seculi III. scriptor meminerit decimarum ecclesiæ Alexandrinæ *Homil. XI. Actor. XX, 33. 34.* Tempore vero *Hieronymi*, & sic seculo IV. usum illarum jam in Christiana ecclesia receptum, & satis frequentem fuisse, constat. Ita enim in *Epist. II. quasi Levita & Sacerdos ex decimis & oblationibus vivo.* Agit etiam de decimis præstandis *Lib. XVI. quæst. 1. cap. fin.* & ad *cap. III. Malach.* ex quo loco pars relata est in decretum *Can. Revertimini. 65. caus. 16. quæst. 1.* comparetur *Canon. 68, d. caus. 16. quæst. 1.* Testantur id etiam loca ex *Augustino*, *Chrysostomo*, & *Ambrosio*, sic

Nullus in ea usus decimarum.

Quando invaluit?

ſic ex eodem ævo deprompta *a Marco Antonio de Dominis de Republ. Eccleſ. Lib. IX. c. 2. §. 6.* Datas autem fuiſſe ſub initio decimas ex libera Chriſtianorum voluntate, valde veriſimile eſt; acceſſiſſe vero Epiſcoporum, aut Parochorum ſvaſiones ex jure Moſaico petitas, non negamus, quoniam ſtipendia Clericis parcius præbebantur. Conf. *Paul. Sarpius Tr. de Benef. a 11.* Poſtea acceſſit Conciliorum auctoritas. Namque in Concilio *Aurelianenſi I.* quod in Seculi VI. annum XI. incidit *Cap. 17.* decimarum mentio fit, ut eſt apud *Hartmann. Concilior. Tom. III. p. 637.* quamvis apud *Labbeum Tom. IV. p. 1407. cap. 15.* verba: *Decimæ autem ſecundum quosdam* &c. non reperiantur. Pariter in Concilio *Matisconenſi II.* ann. 585. habito *Cap. 5. populus jubetur, decimas inferre, atque dicitur, Chriſtianorum congeriem legem iſtam divinam de decimis longis temporibus cuſtodiviſſe*, apud *Labbeum Tom. V. p. 982.* & *Hartmann. d. l. p. 721.* ut adeo Galliæ Concilia primum decimas quaſi canonizaverint. conf. *Lebm. Chron. Spirenſ. L. 2. cap. 35. p. 139.* Conf. *Petrus de Marca de concordia ſacerdotii & Imperii Lib. IV. c. 10.* Id quod etiam poſtea ſequentibus multis aliis Conciliis factum eſt, quæ longo ordine recenſent *Hoſpinianus de Orig. bon. eccleſ. cap. 3. M. A. de Dominis d. l. & Werndle de Decim. Lib. 1. c. 8.* ex quibus maxime memorabile eſt Concilium Lateranenſe III. ſub *Alexandro III.* Anno MCLXXIX. vel MCLXXX. habitum, ubi inter alia decretum, ne laicis poſtea decimæ concedantur; vel a laicis in laicos ulterius transferantur. *Labbeus Tom. X. p. 1516. & p. 1568.* Qua de re vid. *Præſid. Jurispr. Feud. c. 7. §. IV.* Ceterum, ullum ex Romanis Imperatoribus Chriſtianis per conſtitutionem Clericis decimas aſſignaſſe, nullibi legitur; neque etiam in libris Codicis utriusque *Theodoſii,*

sii, & *Justiniani*, aut in Novellis quicquam de decimis habetur. Solet a quibusdam ad constitutionem Constantini Magni provocari; verum ubinam illa extet, & an unquam prodierit? incertum est. In Conciliis vero auctoritate Caroli Magni Imperatoris congregatis de decimis actum esse satis constat. De ejusdem Imperatoris instituto apud Saxones mox dicemus.

§. VIII.

Non ubique est receptus. Quicquid tamen illorum sit, fatendum utique est, non omnes gentes præstationi decimarum sese subjecisse. Queritur de hac re *Innocentius III.* in Concilio Lateranensi *Cap. 54. in aliquibus* inquiens *regionibus quædam permixtæ sunt gentes, quæ secundum suos ritus decimas* de more non solvunt, *quamvis censeantur nomine Christiano. c. 32. X. de Dec. Slavos* de omni Wagirorum, sive Obotritorum terra tributum, quod pro decima imputabatur, Episcopo Altenburgensi solvisse, *Helmoldus Lib. I. c. 12.* docet. Apud eundum *Cap. 91. 92.* legimus, Holzatos, qui *Wagirensium terram, propulsis Slavis, inhabitabant, decimis juxta divinum præceptum legaliter persolvendis rebelles extitisse; solvisse autem mensuras parvulas sex de aratro. Danos* decimas dare noluisse Adamus Bremensis *Lib. IV. c. 203. & 238.* scribit. In Germania nostra de decimis sæpius lites cum Pontificibus intercessere. Nota sunt, quæ

Germaniæ usus, tempore *Friderici I.* contigere: ubi *Urbanus III.* Pontifex omnes decimas, quæ ab ecclesiis Germanicis Vasallis jure feudi concessae erant, ut ipsi eas protegerent, repeti, & vasallis auferri jubebat, injustum esse credens, aliquam laicam personam decimas possidere, quas manifeste Dominus his, qui altari deserviunt, deputaverit,

Arnold.

Arnold. Lib. 3. Chron. Sclav. Cap. 18. quo ipſo ulterius progreſſus eſt, quam *Alexander III.* qui in Concilio Lateranenſi decimas in feudum dari laicis, & ne a laicis in laicos ulterius transferentur, prohibuit quidem, *Cap. 19. X. de decim.* ſed tamen non auſus eſt poſſeſſiones laicis auferre. Reſtitit vero Imperator Pontifici, non invitis Germaniæ Epiſcopis, atque etiam obtinuit, *Conf. Albert. Cranz. Lib. VI. Sax. c. 52. Schilter. de liber. Eccleſ. Germ. lib. 5. C. 6. §. 7.* Ex Germaniæ vero populis maxime decimis adverſata eſt gens Saxonum. Nam licet *Carolus* Magnus eccleſiam *Bremenſem* eximio privilegio exornans, cujus tenor apud *Adam. Brem. L. 1. Hiſt. Eccl. c. 9. ap. al. 10.* &, paulo aliter tamen, ap. *Wolterum T. II. Meib. Script. R. G. p. 22. ſeq.* ac in *Cranzii Metropoli Lib. I. c. 7.* nec non in *Coll. Script. Septentr. Lindenbrogii Ed. nov. p. 174.* legitur, dum populum Saxonicum a jugo tributorum liberavit, ceterum eccleſiis, & pontificibus jure decimarum obnoxium eſſe juſſerit: acta tamen ſequentium temporum teſtantur, Saxones huic legi ſe ſubjicere noluiſſe, nec etiam poſtea agnoviſſe decreta Lateranenſia. Imo in quibusdam partibus Saxoniæ ipſum Carolum decimas menſæ regiæ reſervaſſe, & inde eſſe, quod laici in partibus iſtis decimas obtineant, docet *Gobelinus Perſona Coſmodromii ætate 6. Cap. 38.* Loca vero nominat Paderborne, Mimigardevord, qui poſtea Monaſterium dictus eſt, Oſenbrugge, Minden, Verden, Hildesheim, & Halberſtad. Sane ex *Adamo Bremenſi L. IV. Cap. 10.* diſcimus, tempore *Henrici IV.* ſub *Adelberto* Archi-Epiſcopo Bremenſi decimas eccleſiarum, quæ habuerunt, omnes in uſum laicorum ceſſiſſe. Quod ex eodem auctore *Albertus Stadenſis* ad Annum MLXVI. quoque narrat. Plane

Saxonica Vſus.

Lib.

Lib. 1. art. 2. Jur. Sax. ubi jura Clericorum recenſentur, altum de decimis eſt ſilentium. Notum eſt ex annalibus, *Clementem IV.* Romanum Pontificem, ſub prætextu redimendæ terræ ſanctæ e manibus infidelium, per Germaniam decimas exigere auſum eſſe. Oppoſuit in Saxonia ſe huic auſui fortiter *Johannes Teutonicus*, dictus *Semeca*, primus JCtorum Germaniæ, & Præpoſitus ad St. Stephanum Halberſtadienſis, ad Concilium ob hancce cauſam provocans. *Albert. Cranz. Lib. VIII. Sax. c. 27.* qui tamen ideo fulmen excommunicationis ſenſit, & præpoſitura excidit: quamvis non defuerint magni viri in Germania, qui ipſum defenderent. *Pancirollus de claris LL. interpret. Lib. III. c. 6.* Interim tamen negandum non eſt, Imperatores, Regesque, ac Principes Saxonicos, aliosque, qui ab hiſce decimas acceperunt, eccleſiis, vel illorum miniſtris eas ſucceſſu temporis conceſſiſſe, atque eccleſias iterum decimas aliis in feudum quoque dediſſe. Exemplum eccleſia Magdeburgenſis præbet, cui Otto Magnus decimas ex proprio conceſſit; quam rem latius exequitur *Grypkiander de Coloſſis Weichbildicis Cap. 30.* Conf. *Sagittar. in antiquit. Magdeburg. §. 71. 72.* Ex qua re id infertur, in Saxoniæ partibus decimas in dubio pro laicis haberi, atque adeo eccleſiis, & clericis non deberi, niſi jus decimandi ab eccleſia, vel clerico probetur. Quæ concluſio fundamentum deciſionis præbuit in quæſtione magni momenti, quam Ordo Juridicus Wittenbergenſis, hac de re conſultus, excuſſit in Reſponſo, Ann. 1691. Menſ. Julio, cujus mentio facta *a Præſide Jurisprud. Feud. Cap. VII. §. 4. cui jungendum eſt Reſponſ. Tübingenſ. quod adjectum eſt novæ editioni Werndle. de Decim. in appendice, p. 88. ubi de eodem caſu agitur.* Eſt etiam

in

in aliis caufis de hac re actum; & fimilem in modum ab eodem Ordine refponfum. *videantur Confultat.* & *Refponf. Præfid. Claff. I. Refponf. 35. p. 72.* & *Claff. II. Refponf. 49. p. 679.* imo in eandem fententiam noviffime refpondit Ordo Jurid. Illuftri Regimini Halberftad. in caufa des Bau-Meisters des hohen Stiffts/ & Conforten/ contra Advocatum Fifci Menf. Nov. 1711. Quanto opere Thuringi pugnaverint pro libertate fua, intuitu decimarum, in Synodo Erfurtenfi Ann. MLXXIII. ex Lamberti *Schaffnaburgenfis* Chronico ad hunc annum, & actis ejusdem Synodi, ap. *Labb. & Coff. T. IX. p. 1229.* cognofci poteft.

§. IX.

Decimæ perfonales introductæ.

Decimarum ufu, & jure femel recepto, non acquievere Clerici legislatione Mofaica, fed plus ultra progreffi, præter decimas ex omnis generis fructibus terræ, & animalibus præftandas, novum genus decimarum invenerunt, quod fub nomine *perfonalium* decimarum comparuit, atque de negotiatione, de ipfa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis, ecclefiæ miniftris juxta traditionem fanctorum patrum tribuendum effe, ait *Cæleftinus III. in Cap. 22. X. h. tit.*. Quoniam enim videbant in civitatibus populofis, non ex fructibus prædiorum vivi, fed aliis artibus rem familiarem augeri, vifum fuit, hoc genus decimarum ab incolis exigere, ne hi immunitate illos vincant, qui rus colunt, atque clerus etiam ex hifce vitæ fubfidia percipere queat. *Rebuffus quæft. 3. de decim. n. 29.* probare conatur, & has decimas in jure divino fundatas effe. Sed plerosque ex fuis adverfarios habet. *Barbofa de Jur. Ecclef. Lib. 3. c. 26. pr. n. 10. §. 1. n. 37. Werndle de Decim. Lib. 2. c. 1.* Interim

C ipfe

ipſe *Rebuffus*, aliique affirmantum *Laym. Theol. mor. l. 4. tr. 6. c. 1. n. 4.* has decimas hodie in uſu non eſſe. *Carpz. Lib. Jurisprud. Eccleſ. Def. 131. Stryk. ad Brunnem. Jus Eccl. c. 6. §. 3.* quamvis hoc *B. Brunnemannus* univerſaliter non admittat *Lib. 2. Jur. Eccleſ. Cap. 6. §. 3.* de qua re in ſequentibus deſpiciamus. Vbi vero decimarum jus ſemel receptum eſt, ibi omnes præſtare tenentur eas, *c. 4. 23. 24. X. de Dec.* niſi ab hac præſtatione ſint exemti, vel conſvetudine *c. 32. h. t.* vel privilegio *Cap. 3. 9. 10. 25. X. de Decim.* vel præſcriptione, *Cap. 1. de præſcript. in 6.* vel transactione, remisſione, re judicata, *c. 2. 8. X. de transact. Caniſ. d. l. c. 17.* Quinam autem ab ea immunes ſint, ſolent Canoniſtæ paſſim docere, quorum tradita repetere omnia, non eſt hujus loci: namque de unica ſaltem exceptione, quod *clericus clericum non decimet*, h.e. decimas non exigat a clerico, agere nobis eſt conſtitutum. De qua quidem re variæ extant Canoniſtarum diſputationes: neque etiam una definitione ea confici poteſt. Ad cujus argumenti diſcusſionem antequam deveniamus, illud & paucis monendum eſt, *Clerici* vel *Clericorum* nomen a Conſtantini tempore juxta *L. 2. C. Theodoſ. de Epiſc.* proprium, & ἐξαιρετὸν factum eſſe, illis, qui miniſteria cultui divino impendunt: quamvis ſtylo ſacræ ſcripturæ vox κλῆρος denotet totam eccleſiam, ſive cœtum fidelium ex doctoribus & auditoribus conſtantem *Coloſſ. I, 12. 1. Petr. V, 3. Ziegler. ad Lancell. Lib. 1. tit. 4. §. 1. & Lib. 3. tit. 2. §. 12.*

Omnes præſtant decimas.

§. X.

Sedes argumenti.

Sedes hujus doctrinæ eſt in *Cap. 2. X. de Decim.* ubi ita habetur: *Novum genus exactionis eſt, ut Clerici a Clericis decimas exigant, cum nusquam in lege Domini hoc legimus; non enim Levitæ a Levitis decimas accepiſſe leguntur.*

Illi

Illi profecto Clerici, qui a Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent. Extat quoque hæc Decretalis, ut vocant, in *Collectione I. Decret.* quam, *Bernbardo Præposito*, vel, ut alii, *Episcopo Papiensi*, postea Præsuli *Faventino* debemus, sub titulo *de decim. cap. 7.* apud *Antonium Augustinum* in libro antiquarum collectionum decretalium. Sed lectio tamen ejus quodammodo variat a lectione Decretalium, jussu *Gregorii IX.* a *Raimundo* collectarum. Namque in illa antiqua collectione ita legitur: *Novum genus exactionis est, ut clerici a clericis frugum decimas, vel animalium exigant; nusquam in lege domini hoc præcipi legimus, aut permitti, non enim Levitæ a Levitis decimas accepisse, vel extorsisse leguntur. Illi profecto Clerici, qui a Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent.* Varias lectiones ex Conciliis, *Raimundo*, & *Cont.* annotat *Antonius Augustinus in Not. ad d. c. 7.* quas adjicere, non deerit operæ pretium. Variæ Lectiones.

Cap. 7. *Frugum decimas, vel animalium exigant*) frugum, vel animalium decimas exigant. d. parte 13. cap. 16. decimas exigant, Raim. & Cont. aliis omissis.

Nusquam in lege &c.) hæc úsque ad illa, *non enim Levitæ*, omittunt Raim. & Cont. Nunquam enim hoc in lege &c. concil. Vide cap. 8.

Accepisse, vel extorsisse) extorsisse, Concil. & in margine, cepisse, accepisse, Raim. & Cont. aliis omissis, de decima decimæ, quæ dabatur a Levitis Sacerdoti, vide Num. 18. & ex Hier. c. 1. hoc tit. in secunda collectione.

Illi profecto clerici &c.) sic etiam Raim. & Cont. Illi profecto solvere laborum suorum decimas debent, qui a clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, concil. Hæc videntur ad laicos pertinere: ut etiam infra c. 8.

 Tribui-

Auctor Decretalis.

Tribuitur in utraque Collectione hæc Decretalis *Paſchali II.* qui MXCIX. ſedem Papalem aſcendit, atque usque ad annum MCXVIII. floruit, ceu apud *Baronium*, aliosque legitur, quive *Henricum V.* MCXII. excommunicavit. Inter ejusdem Pontificis Decretorum fragmenta etiam hoc referunt *Labbeus & Coſſartius Tom. X. Concil. p. 715.* iisdem verbis, ac in Collectione Ima fit, niſi quod loco *τὸ aut*, *τὸ vel* poſt verbum *legimus*, apud eosdem habeatur. Alioquin apud Conciliorum compilatores hæc Decretalis poſt Concilium *Lateranenſe III.* ſub *Alexandro III.* habitum in append. *Part. XIII. c. 16.* reperitur. Quorſum etiam *Gloſſa*, & *Auguſtinus* provocant. Extat vero apud *Binium Tom. III. Part. II. p. 600.* his verbis: *Novum exactionis genus eſt, ut clerici a clericis frugum, vel animalium decimas exigant. Nunquam enim hoc in Lege Domini præcipi legimus, aut permitti: nec enim a Levitis Levitæ decimas* (in marg. cepiſſe) *extorſiſſe leguntur. Illi profecto ſolvere laborum ſuorum decimas debent, qui a clericis ſpiritualium miniſteriorum labores accipiunt.* Iisdem plane verbis, & eadem cum nota marginali *Labbeus & Coſſart. in append. d. Concil. Lateran. P.* XIII. *c. 16.* Decretalem hancce exhibent *Tom. X. p. 1618.* Incertum autem eſt, qua occaſione, & ad quos reſponſum hocce fuerit datum. Neque enim id in antiqua collectione *Bernhardus* annotavit, nec apud conciliorum collectores quicquam hac de re reperitur; nec credibile eſt, recentiores, *Binium & Labbeum, Coſſartiumque* circumſtantias haſce omiſiſſe, ſi apud priores collectores, vel alibi in eas incidiſſent. Gloſſatores exiſtimarunt, Capitulum hocce non poſſe congrue ſummari, ut loquuntur, propter varietatem lecturarum. Sed

tamen

tamen illa varietas, quam adduximus, lectionum, vel reperimus apud *Augustinum*, intellectum non turbat, vel variat: nisi quod in conciliis, teste *Augustino, Binio, & Labbeo, Tellezio* quoque ad *c. hoc* II. *p.* 585. in ultimo versu τὸ *clerici* omittatur, atque *illi profecto*, simpliciter legatur. Nam hæc lectio illum fere sensum producere videtur, quasi versus hic non ad clericos, sed ad laicos pertineat, & laici clericis, ratione præstationis hujus, opponantur, ut ipse animadvertit *Augustinus*.

§. XI.

Sed dispiciamus paulo plenius, quid Pontifex sibi in hac Decretali voluerit. Scil. procul dubio quæsitum fuit ex Papa, ut casum format Glossa, *utrum clerici a clericis decimas exigere possint?* Ad quam quæstionem respondet Pontifex: *novum exactionis genus esse, ut clerici a clericis decimas petant;* atque adeo improbat hocce insolitum genus, negatque, clericos a clericis decimas exigere debere. Addit etiam rationem, quam ex jure Mosaico petit, ex quo scil. jus decimarum ortum habet: quod in Lege Domini nusquam legatur, vel præcipiatur, Levitas a Levitis decimas accepisse, vel extorsisse. Quod quidem intelligendum est de Levitis inter se, vel paribus, qui etiam a se invicem decimam fructuum prædiorum exigere non poterant, quippe qui nulla possidebant, nec portionem hereditariam terræ promissæ acceperant, quibus Levitis ideo DEVS decimas assignavit. *Num.* XVIII. 24. Sed tamen ille idem DEVS jusserat, ceu supra dictum, ut Levitæ illi decimas decimarum solverent Sacerdoti summo, a quibus reliqui Sacerdotes participabant, *d. Cap.* XVIII. 26. de quibus decimis agit *Hieronymus* super *Ezech.*

Casus capituli.

qui locus in Decretales noſtras eſt relatus, *c. 1. X. de Decim.* Verum pars, quæ ſequitur, tum in I. tum in VI. *Collatione*, deſtruere videtur id, quod antea definitum eſt a Pontifice. Quando enim dicitur, quod clerici, qui a clericis ſpiritualium miniſteriorum labores accipiunt, decimas eis debeant: aſſertio affirmativa, & ſic contraria illi, quæ in prioribus verbis habetur, inde naſcitur, quod ſc. clericus clericum etiam decimare poſſit, & ab illo decimas exigere. Id quod in varias ſententias traxit Commentatores, atque Moraliſtas.

§. XII.

Lectio textus conſtituitur.

Primo omnium, ut hæc dubia tollamus, neceſſarium eſt, ut conſtituamus veram lectionem capitis noſtri, aut certi ſimus, quam ſequamur. Collectio *Bernhardi* Ima ad ſeculum XII. & declinans quidem pertinet, ceu oſtendit *Maſtrichius Hiſtor. Jur. Eccleſ. n. 338.* & procul dubio primum ſcriptum eſt, in quo fragmentum hocce noſtrum conſervatum. Ex qua collectione compilatores Conciliorum particulam hanc depromſere, ſuisque collectionibus, de quibus idem agit *von Maſtrich n. 144.* eam inſeruerunt. Vt adeo plus fonti ſit fidendum, quam rivulis. Quicquid vero ſit de iſta prima compilatione, vel conciliorum collectionibus, quod ad uſum juridicum attinet, ea lectio, quam collectio VI. ſequitur, omnibus utique præferenda eſt. Prodiit enim collectio hæc autoritate *Gregorii* IX. *Rom. Pontificis*, qui juſſit, ut omnes hac ſola compilatione in judiciis, & ſcholis utantur. Et ideo apud illos, qui Pontificem caput eccleſiæ agnoſcunt, & illius imperio in his rebus parent, non poteſt aliter fieri, quam ut ex Decretalium formulis, prout in hoc libro continentur, deciſio petatur

tatur, & eorum lectio habeatur pro authentica. Quæ quidem ratio, licet inter Evangelicos cesset; quoniam tamen Jus Canonicum ex recepto apud nos autoritate sua pollet, nullus autem alius liber, quam hic ipse a *Gregorio IX.* promulgatus, receptus est: consequens est, secundum hujus libri lectionem apud nos, de causis, quarum decisio ex Jure Canonico petenda, judicandum esse. Dabimus ergo operam, ut secundum hanc lectionem sensum verum Pontificis indagemus, & quid hac parte justum sit, recte æstimare possimus.

§. XIII.

Dum vero ita præstruximus subjectum, quod decimas præstare debet, in utraque parte C. nostri, esse *clericos*, sententia hæc omnino videtur esse Pontificis: Sensus totius capituli.
I. *Clericos, quatenus tales considerantur, h. e. quatenus aliis ministrant spiritualia, decimari ab aliis clericis non posse:* II. *posse vero decimari ab aliis clericis, quatenus non ut clerici, qui aliis spirituales labores ministrant, considerantur, sed quatenus accipiunt ab aliis spirituales labores, vel pro talibus habentur.* Illud in priori parte C. habetur; hoc in posteriori. Illius ratio est petita partim a novitate, cum nusquam in lege Domini, legatur, nec habeatur alia in lege, tali casu decimas præstandas esse. 2.) ab exemplo Levitarum, qui a se invicem decimas non acceperunt: 3.) a contrario sensu; quod sc. cum illi clerici, qui ministeriorum labores accipiunt, decimas præstent, illi, qui non accipiunt ministeria, sed labores ministrant, immunes debeant esse a præstatione decimarum. Posterioris ratio est, quod decimæ clericis præstentur ob spiritualium ministeriorum labores, quos ministrant animabus fidelium. Quicunque ergo tales

labores

labores recipiunt, vel in quorum utilitatem tendunt, illos etiam, quicunque sint, decimas præstare æquum est. Atque adeo pars ultima C. pertinet ad ampliationem regulæ, quam supra posuimus *Thes. IX.* pars autem prior ad exceptionem ab ista regula. Quæ omnia in sequentibus plenius excutienda erunt. conf. *Barbosa Jur. Eccles. lib. 3. c. 26. §. 3. n. 8.*

§. XIV.

Decimæ distinguuntur.

Quod ut recte fiat, decimarum species inter se discernendæ sunt: Supra *Thes. IX.* diximus, alias decimas esse *prædiales*, alias *personales*. Videamus Imo, an & quousque prædiales ad nostrum capitulum pertineant? quia antiquiores sunt personalibus, magisque in usu, quam hæ. *Prædiales* decimæ illæ dicuntur, quæ ex fructibus in prædiis natis, vel ex fructibus terræ solvuntur, ut de vino, tritico, oleribus, & his similibus, de quibus agitur in *C. 5. 20. 28. X. de Decim.* & alibi passim. Quæ prædiales decimæ subdividuntur in decimas *mergitum*, sive *manipularias*, Zehend-Garben / & *granorum*, Sack-Zehend / Zehend-Korn / Haafer-Decem. *Schilter. Inst. Jur. Canon. lib. 2. tit. 8. §. 13.* conf. *Werndle de jure decim. p. 88.* Ipsorum vero prædiorum, vel rerum immobilium decima pars nullo jure præstatur,

aliæ prædiales, aliæ personales.

Dantur & mixtæ.

Hisce prædialibus decimis nonnulli opponunt decimas *mixtas*, quæ scil. ex animalium fructibus, veluti fœtu, lana, lacte, caseo, butyro, melle, & cera &c. præstantur, de quibus etiam *dd. Capit.* agitur: quas tamen plerique ad *prædiales* referunt; nec adeo male, cum nonnisi in prædiis animalia ejusmodi haberi possint; saltem eodem jure cum prædialibus censentur. *Soto de Justit. & Jur. Lib. 9. quæst. 4. art. 4. Zigl. ad Lancell. Lib. 2. c. 16. n. 3.*

Werndle

Werndle de Decim. Lib. 1. c. 2. p. 6. Vtræque hæ decimæ præstabantur olim Levitis: & cum Pontifex exemplum a Levitis petat, sine dubio de utraque specie sensit; ut taceam, in prima collectione, & lecturis, quæ eam sequuntur, frugum & animalium diserte mentionem fieri. Harum vero prædialium decimarum, & mixtarum, quæ eodem jure censentur, proprium est, ut Ecclesiæ, vel illi, qui eidem præest, debeantur, intra cujus limites, vel fines, prædium est situm: & quidem in ecclesia parochiali, regulariter *parocho*, ob curam animarum, quam in ecclesia habet, *C. 13. 29. 30. X. de Decim. c. ult. X. de paroch. c. 2. de Restitut. Spol. in 6. Lancell. lib. 2. tit. 6. §. 4. ubi Ziegl. Canis. ad tit. X. de Decim. c. 8.* Potest tamen lege, vel consvetudine, privilegio, donatione, re judicata, compromisso, transactione, permutatione effici, ut alteri ecclesiæ, quam intra cujus limites prædia sita, decimæ prædiales acquirantur, *c. 18. X. h. t. C. fin. X. de parocb.* qua de re late agit *Canis. d. l. c. 9. & 10.* Præsertim etiam per præscriptionem hæc acquisitio fieri potest. *C. 6. X. de praescript. & c. 1. eod. in 6to.* Circa quod tamen 1.) notandum, præscriptionem quadragenariam hic requiri, juxta *d. c. 6. X. de praescript.* *) quamvis nonnulli 30. annorum spatium sufficere credant, si ecclesia contra ecclesiam præscriptione se tueri velit, *c. 6. X. de privil. B. Ziegl. ad Lancell. lib. 2. tit. 26. §. 12. Sed vid. Canis. d. l. c. 6. n. 13.* Deinde, quod secundo loco observandum, juxta

Prædiales debentur Ecclesiis intra quarum limites sita prædia.

Interdum alii acquiruntur.

Qua ratione id fiat per præscriptionem.

D *Boni-*

*) Hoc loco distingvendum est inter diversos casus; *cap. 6 X. de privil.* agit de casu, ubi parochialis ecclesia, ad quam jure communi spectant decimæ, præscribit decimas contra monasterium, quæ præscriptio favorabilis est, cum res ad suam naturam recurrat & ideo 30. annis sufficiunt. Sed in *cap. 6. X. de praescript.* agitur de casu, ubi una ecclesia parochialis contra alteram præscribit, ubi 40. anni requiruntur. *cap. 15 de privil.* agit de casu, ubi alii, quam parochus, inter se contendunt de decimis.

Bonifacii VIII. constitutionem in *d. c. 1. de præscr. in 6to.* præter bonam fidem, & *titulum*, necessarium esse, qui possessori causam tribuat præscribendi; quoniam possessori tali jus commune contrariatur. Quem titulum tamen doceri, opus non est, si tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat. qua de re late agit. *Covarruv. lib. 1. Resolut. c. 17. Canis. d. l. c. 9. Dn. Böhmer. de Jur. Paroch. Sect. 4. c. 1. §. 14.*

§. XV.

Distinctio prædiorum clericalium.

Porro id non omittendum est, haud esse unius generis prædia, quæ ad clericos, qui ecclesias regunt, vel ministeria illis præbent, pertinere dicuntur, sed diversorum. Dantur enim Imo prædia, quæ *propria* sunt, ac *patrimonialia* clericorum, atque sic non ad patrimonium ecclesiæ, sed privatum clericorum patrimonium referenda. Quæ bona clerici, non ut clerici, & quatenus tales, sed ut alii homines, ac tanquam laici possident. *Tellez. ad C. nost.* II. Interdum clerici prædiis incumbunt, non quidem tanquam domini, vel bonæ fidei possessores, nec etiam ut clerici, sed jure e. c. *usufructus, pignoris, vel locati conducti.* &c. III. Clerici habent *prædia*, quæ ad ecclesias, vel alia pia loca spectant, & illis cum fundarentur, tanquam dotes assignata sunt. IV. Reperiuntur prædia ad clericos pertinentia, quæ in incrementum dotis accesserunt ecclesiæ jam fundatæ, & constructæ. Vtraque hæc prædia clerici habent, vel illis incumbunt, ut clerici, quatenus ecclesias regunt, vel alia munia obeunt. Vtraque etiam hæc bona ratione finis specialis iterum duplicis generis sunt. Alia enim destinata sunt ad usum clericorum ipsorum, qui ecclesias regunt, vel ecclesiastica ministeria subeunt. Quorsum pertinent bona mensalia Episcoporum, prædia parochialia,

chialia, Pfarr-Huffen / Pfarr-Hölzer / quorum administratio clericis solis plerumque permitti solet. Alia vero destinata sunt ad patrimonium ecclesiasticum, vel ærarium, usumque totius ecclesiæ, ut ex illis sumtus ad cultum divinum externum instruendum, ad salaria ministris ecclesiæ præbenda, extructionem, vel conservationem ædium sacrarum, & habitationum ministrorum ecclesiæ necessarii desumantur. *art. gen. 33. n. 9. in fin.* Hæc prædia in specie Kirchen-Huffen / Kirchen-Hölzer / apud nos dici solent. Horum bonorum administratio olim advocatis ecclesiarum concredebatur; hodie certis administratoribus, una cum Rectoribus ecclesiarum, committitur. *vid. Tellez. d. l.*

§. XVI.

Quod attinet I. ad prædia, quæ privatum clericorum patrimonium constituunt, certissimum est, clericos ex istis prædiis decimas solvere debere illi, qui jus exigendi decimas ex his prædiis alias habet; cujus jus intervertere non potest. *C. Si quis laic. vel cler. 42. c. 16. quæst. 1.* Sunt enim decimæ onus non tam personæ quam rei, *c. 28. X. de Decim.* quod onus rem apud quemcunque possessorem comitatur, *c. 33. in fin. X. de decim. arg. L. 2. C. Sine cens. vel reliq.* Nec hic clerici considerantur tanquam clerici, sed tanquam possessores prædiorum secularium, quæ seculari jure, puta, hereditario, emtionis, vel alio quovis titulo acquisivere, vel compararunt: quorum intuitu potius parochiani, quam clerici, rectores, vel ministri ecclesiarum dicendi sunt. *Barbos. ad text. nost. & Jur. Eccles. L. III. c. 26. §. 3. n. 10.* Et si aliter fieret, facile evenire posset, ut ecclesia, vel parochia magna parte decimarum excideret, si multi ex il-

An ex prædiis clericorum propriis decimæ præstandæ? Affirm.

Ratio.

 larum

larum finibus prædiorum possessores ad sacros ordines promoverentur. *S. Thomas* II. *2. Quæst. 87. art. 4.* Quorsum pertinet, quod *C. 42. c. 16. quæst. 1.* ex Moguntinensi Concilio adducitur: *Si quis laicus vel clericus, vel utriusque sexus persona proprietatis suæ loca, vel res alicui dare delegaverit, decimationum proventum priori ecclesiæ legitime assignatum inde abstrahere nullam habet potestatem. Quod si facere tentaverit, talis traditio irrita prorsus ducatur, & ipse ad emendationem ecclesiastica coerceatur censura.* Ex quo concludunt Canonistæ, Episcopos, imo etiam ipsum Pontificem, prædia possidentes, decimas ex illis præstare debere. *Borell. in Summa Decis. tit. 19. n. 13. de Decim. Hunn. Encyclop. tit. de Decim. c. 2. Wamesius de jure Pontif. concl.*

Ampliatio. *439.* Nec interest, an possessor prædiorum dignitate superet eum, qui jus decimandi habet, e. c. si Episcopus possideat bona propria, sub parochia, vel exemtione quadam gaudeat, uti Prælati exemti non subsunt parochis. *C. ult. X. de pœnit.* quoniam hic solum ad possessionem prædiorum, qualitatem parochiani, non vero ad aliam dignitatem, vel qualitatem respicitur. *Barbos. ad h. text. nost. & Jur. Eccl. L. III. c. 26. §. 3. n. 10.* Quæ necessitas decimas præstandi adest, si maxime prædia intra fines ecclesiæ vel parochiæ sita, quam clericus possessor regit, vel apud quam ministerium sub quacunque dignitate obit. *Thomas d. l.* Idem docet *Panorm. ad h. text. nost. Barbos. ibidem & d. l. Jur. Eccl. Azor. in Inst. Moral. lib. 7. c. 14. §. 5. Werndle lib. 3. c. 2. p. 169 Carpz. lib. 2. Jur. Prud. Eccles. d. 128. n. 3. Stryk. ad Brunnem. Jus Eccl. lib. 2. c. 6. §. 12.* Quod si vero possessor prædiorum ille ipse sit, ad quem decimæ ex his prædiis pertinent, v. g. si parochus intra parochiæ suæ fines prædia propria possideat; videtur ideo, quod per-

persona creditoris, qui decimas nempe exigit, & debitoris, qui præstat, nunc unum idemque subjectum sit, confusionem quandam factam esse, & per eam jus exigendi decimas extinctum: dum nemo a se ipso aliquid exigere, vel sibi ipsi præstare potest; pariter ut fit, si debitor creditoris heres fiat, vel vice versa, creditor debitoris. *L. 56. §. Idem 1. ff. de fidejuss. L. 38. ff. eod.* vel eadem persona dominium prædii servientis & dominantis consecuta sit, *L. 1. ff. quemad. servit. amitt. L. 10. ff. commun. prædior.* Sed observandum tamen hic est, subjectum hocce loco illud diverso jure censeri, quod infrequens & alias non est. *L. 22. ff. de his, quib. ut indign. L. 3. ff. de Adopt. L. 26. C. de administ. tut.* & ideo, ex vero nullam fieri confusionem. Parochus hoc casu, dum exigit decimas, & accipit, persona ecclesiastica & publica habetur; dum vero decimas præstat, privata, uti id olim contingebat, quum Magistratus coram se ipso, ceu persona publica, filium, vel servum suum, quem tanquam privatus habebat, emancipabat, vel manumittebat, *L. 3. ff. de adopt.* vel quando tutor, tanquam debitor pupilli privatus id, quod pupillo debet, solvit sibi ipsi, tanquam tutori, cujus munus publicum suo modo etiam habetur. *L. Quoties 9. §. 3. ff. de admin. tut. l. curat.* ubi, adversus se ipsum, tutorem sine actione experiri posse, dicitur. *L. 1. ff. de muner. & honor.* vel ut exemplum ex jure publico nostro adducamus, quando Imperator, tanquam imperator, se ipsum tanquam R. Bohem. l. Archiducem Austriæ de terris hæreditariis investire debet, & tanquam Rex Bohemiæ, Archidux Austriæ &c. a se ipso tanquam Cæsare renovationem investituræ petere. *Capitul. Caroli* VI. *art. X. in fine.* Et si maxime facies aliqua confusionis, vel spe-

cies adesset, atque dum hæc durat, nulla actione opus, quum sibi ipsi parochus, prout visum, satisfacere potest: illud omne tamen expiraret, si concursus diversorum respectuum iterum deficiat, & e. c. parocho defuncto, alius sufficiatur: prout in aliis temporalibus confusionibus id etiam fit, e. c. si quis revocabile dominium saltem acquisivit prædii dominantis, vel servientis, *L. 7. princ. §. 1. ff. de fund. dot. L. 18. ff. de servit.* & dominium illud cesset, quo casu servitus extincta reviviscit. *Frantzk. ad tit. quemadm. servit. amitt. n. 14. Conf. Panorm. ad h. text. nost. Werndle d. l. p. 196.* De *monachis* frustra hoc loco quæritur, quum illi, qui se vitæ monasticæ addicunt, nihil bonorum propriorum retineant, vel habeant, paupertatem perpetuam professi, & seculo quasi demortui. *Authent. Ingressi. C. de SS. Eccles. C. 6. X. de Stat. monach.* Ex hisce autem omnibus apparet, non posse de hisce decimis, quæ ex propriis prædiis clericorum petuntur, intelligi *C. nostri* primam partem. Quod etiam ex eo patet, quod Levitæ, quos in exemplum vocat Pontifex, ejusmodi prædiis carebant, quibus quippe, ut supra monitum, & omnibus notum est, nulla portio hereditatis in terra sancta erat data, & concessa. Potest tamen hæc præstatio referri ad partem posteriorem: *Illi profecto clerici* &c. uti & plerique DD. faciunt, qui pro asserenda thesi, quod ex bonis patrimonialibus, & propriis decimæ a clericis præstandæ, hunc textum allegant, vel verba hæc ultima de bonis patrimonialibus, & propriis explicant. *Gl. Panorm. & alii. Barbos. Jur. Eccles. L. III. c. 26. §. 3. n. 10.* Habentur enim clerici intuitu horum prædiorum pro parochianis, & laicis, licet ipsi alioquin spiritualium ministeriorum labores aliis impertiant.

§. XVII.

§. XVII.

Idem vero est dicendum de decimis, quæ ex prædiis exiguntur, quibus clerici non tanquam domini, vel bonæ fidei possessores, nec ut clerici, sed ob aliam causam *pignoris*, *ususfructus*, *locati conducti* incumbunt. Fac enim, hæc prædia a clericis occupata alias decimis esse obnoxia: male ageretur cum ecclesiis, si carere debeant proventibus hisce, ideo solum, quod in manus clericorum hæc prædia devenissent, & clerici a plerisque laicis prædia hujus, vel illius ecclesiæ conducerent, qualis casus in *C. 8. X. de Decim.* habetur; atque adeo omnes rationes, thesi præcedente allegatæ, & huc quadrant. Ob quas causas etiam Pontifex *Innocentius III. in C. 32. X. de Decim. volens ecclesiarum indemnitatibus providere, jussit, ut domini prædiorum prædia sua talibus personis excolenda committant, qui absque contradictione ecclesiis decimas cum integritate persolvant.* Conf. *Fagnanus ad hoc. C. in aliquibus 32. X. h. t.* Disputare solent DD. an locator, an conductor decimas prædii decimalis solvere teneatur? qua de re videatur *Azor. P. 1. lib. 7. c. 24. §. Quarto quæritur. Werndle lib. 3. c. 2. de Decim.* Quicquid sit de hac disceptatione, hoc tamen certum est, & in eo conveniunt omnes, istum, cui jus est decimandi, sequi possessorem, vel detentorem fundi decimalis, vel fructuum, *conf. c. 24. X. de Decim. Klock. T. IV. c. 1. n. 4to.* licet hic regressum contra locatorem habeat. *Werndle d. l.* Atque hoc idem est dicendum de eo, qui jure pignoris, vel ususfructus percipit fructus ex prædio, quorum ille, dum rationes reddit fructuum, decimas deducit tanquam onera, *L. 7. C. de pign. act.* hic vero præstationem hanc ex debito suscipit. *L. 7. §. 2. L. 27. §. 3. ff. de usufr.*

Idem dicendum de prædiis conductis &c.

L. 7.

L. 7. ff. de public. & vectigal. L. 2. C. de annon. & tribut. Plane ex *c. 8. X. de Decim.* satis constat, *Alexandrum III.* mandasse, ut monachi de prædiis, quæ conduxerunt in parœciis suis, de quibus consveverunt decimas percipere, eas plenarie solvant: licet alias privilegio gaudeant suo monachi, quoad decimas prædiorum suorum, quæ suis manibus, aut sumtibus excolunt, de qua re infra agendum pluribus. Privilegia enim talia, quæ non possunt non esse conjuncta cum præjudicio tertii, strictissime contra illum tertium accipienda sunt, *c. 8. de Rescript. in 6. L. 2. §. Si quis. 16. ff. ne quid in loc. publ.* Equidem *Alexandro* III. aliquando quoad monachos terras conducentes aliud placuisse ex *c. 8. de Decim.* in prima collectione apparet. Sed illum textum in suam collectionem *Gregorius IX.* non retulit: quam ob causam nos non turbat.

§. XVIII.

An ex prædiis dotalibus præstandæ? Neg.

Agamus ergo nunc de bonis, quæ ad clericos, *ut clericos*, propter ministeria sacra pertinent, vel ad ecclesias, aut alia pia loca; & primo quidem de iis, quæ ad *dotem ecclesiæ* referuntur. vid. *Extravag. Comm. de decimis.* Hæc *bona dotalia* a præstatione decimarum immunia esse plerique DD. docent, & inter illos *Abbas Panormit. & Tellez. ad h. text. nost. Rebuff. de Decim. quæst. 5. n. 6.* Qua parte provocant *ad c. 1. X. de cens.* secundum quod ejusmodi bona dotalia ecclesiæ immunia esse debent ab omni præstatione; & sic etiam a præstatione decimarum. Quod enim in dicto c. de *manso* habetur, illud DD. de dote ecclesiæ communiter accipiunt, *ad c. d. 1. Panorm. Barbos. Tellez. ibidem. Thom. d. l. Rebuff. de Decim. quæst. 5. n. 6. Stryk. ad Brunnem. Jus Eccles. lib. 2. c. 6. §. 12. Werndle* L. III. *c. 3. & 11.*

& u. quamvis alii aliter d. c. explicare soleant, *Canis. ad Decret. tit. de Decim. c. 6. num. 5. conf. l. 5. C. de SS. Eccl.* Imo pro hac sententia allegare solent *primam partem C. nost. 2.* & hanc de his decimis exponunt, ac accipiunt. Quod etiam *Glossa* facit ad *h. text. nost.* Solent etiam in hanc partem trahere *C. quæsti. 46. c. 16. quæst. 1. ibi: ut Episcopi & Abbates &c. deferri faciant.* Intelligendum vero hoc est de prædiis dotalibus, intra ejusdem ecclesiæ, vel parochiæ limites sitis, in quibus ecclesia, vel parochia jus exigendi decimas haberet, si dotalia prædia non essent. *Barbos. Jur. Eccl. L. III. c. 26. §. 3.* Quoniam enim hæc prædia ad perpetuum ecclesiæ usum, & ejus ministrorum, eo quod ministeria præbeant ecclesiæ, destinata sunt, atque sic ecclesiæ, vel parochiæ propria facta, ac ad cujusque patrimonium relata, obligatio ista ad decimas præstandas nulla adesse potest, & inepte ecclesia, vel parochia a se ipsa decimas exigeret. *Less. de just. & jur. lib. 2. c. 39. num. 23.* Neque etiam hic duplex in subjecto exigente, & accipiente respectus adest: nam & clericus, ut clericus, ecclesia, ut ecclesia, utitur his prædiis dotalibus; & clericus, etiam ut clericus, ecclesia, ut ecclesia, exigeret decimas. Et sane hi reditus locum obtinent decimarum, ex quarum ulterior decimatio, ut infra dicemus, fieri non potest. *Zæs. ad tit. de Decim. num. 20. Fagund. V. Præc. Eccl. L. II. c. 2. n. 1.* Conf. §. XXI. Atque sic nihil interest, an prædia hæc dotalia destinata sint ad usum peculiarem ipsorum clericorum, qui ecclesias regunt, vel alias ministeria sacra obeunt, vel etiam ad usum totius ecclesiæ, vel ærarii ecclesiastici. Ideo Episcopi de bonis mensalibus nullas decimas ecclesiæ solvunt, *Tuschus verb. Decima. concl. 65. Werndle lib. 3. c. 2. p. 170.* nec

Affirm. de illis, quæ intra limites ecclesiæ sita.

Ampliatio.

nec parochus ecclesiæ suæ parochiali; *Fagundez V. Præc. II, 2. 10.* nec etiam ærarium ecclesiæ Episcopo, aut parocho, ex prædiis ad ærarium pertinentibus. Imo etiam alii clerici, e. c. Canonici ecclesiæ cathedralis, vel inferiorum ordinum in ecclesia parochiali e. g. Diaconi, vel Capellani, si prædiis certis ecclesiæ utantur, ipsi I. ejus Rectori decimas solvere non debent ex prædiis ejusdem ecclesiæ, ex quorum fructibus clerici jure clericali vivunt: quia sunt Rectores ecclesiæ, e. c. Episcopi, Parochi, coadjutores & sic suo modo unam personam cum eo repræsentant; uti etiam Rector ecclesiæ cum ecclesia una persona censetur. *Azor. Instit. Moral. lib. 7. c. 24.* Dissentit quodammodo *Barbos. Jur. Eccl. L.* III. *c. 26. §. 3. num. 9. 11.* quoad illa officia, vel beneficia, quæ nullam ex fundatione animarum curam habent; ob quæ munera, hæc gerentes non possunt dici coadjutores in cura animarum. Sed quia in ministerio Ecclesiæ tamen juvant Rectorem, & labores ecclesiæ impertiunt, prior sententia præferenda videtur. conf. alleg. a *Barb. d. l. p. 391.* Et secundum hanc sententiam respondit Ordo Vittenb. in casu, ubi fiscus Episcopatus secularisati ex fundis ad fabricæ ecclesiæ cathedralis, & Senioris capituli usum destinatis decimas exigebat, *an. 1711. Mens. Nov.* his verbis: Daß das hohe Stifft / sowohl als N. den libellirten Zehenden / nebenst den Rückstand abzutragen / und zuerstatten nicht verbunden / sondern damit billich zuverschonen: reservata tamen probatione fisco juris sui peculiaris, si quod haberet, decimas exigendi. Addebantur rationes in hanc sententiam: Hierüber so viel die Baumeisterey des hohen Stifftes / und den Seniorem betrifft / derselben fundi

fundi als bona ecclesiæ in clericorum sustentationem destinata, ohne dem / wenn schon pro decimis in dubio, auch in Sachsen / zu præsumiren wäre / doch vor Zehend-frey gehalten werden müssen / cum clerici a clericis decimas non exigant, *c. 2. X. de decim. ibique Tellez. num. 2.* Sunt, qui tradunt, talia bona immunitate sua a præstandis decimis tunc saltem gaudere, si Episcopi, vel Parochi ea colant pro se, & suis, non vero si aliis concedant colenda, vel utenda, *Moneta de decim. q. 1. c. 5. n. 25. Tuschus Concl. 65. voc. decima. num. 6. Werndle de decim. lib. 3. c. 2. num. 170.* Sed non existimamus, assensum illos mereri. Prædia enim hæc, licet cultura aliis conceda tur, prædia ecclesiæ, & quidem dotalia manent, & ecclesia, vel clerici, quæ, quive illa elocant, loco fructuum ex his prædiis mercedem, eoque majorem, capiunt, quod immunia sint a decimatione. Si ergo decimas exigere vellent, a se ipsis illas exigere, eos oporteret. quod fieri, haud esse conveniens, diximus. Pariter, si ærarium prædium ad illud pertinens, vel parochus fundum ad ejus usum immediate destinatum locaret; nec priori casu parochus, nec posteriori ærarium a conductoribus prædiales exigere posset decimas: quia prædia & fundi res dotales manent, & vel ærarii, vel parochi conditio durior fieret, si, quod eveniret, minori mercede ob istam decimationem locatio suscipi deberet. *Fagundez. V. Præc. Eccl. Lib. 2. c. 10.* Quæ omnia, ex illis, quæ superius diximus, comprobantur. Plane personales decimas, ubi in usu sunt, cultores tales prædiorum præstare debere, nullum dubium est. Si vero hujus generis bona recte & ordine alienantur; desinunt esse dotalia, ac sic causa immunitatis a decimatione cessat, atque

Quidsi Ecclesia, vel Clerici aliis hæc bona utenda tradant.

E 2 secun-

ſecundum naturam aliorum bonorum, etiam ratione decimarum, æſtimanda ſunt: niſi aliud forte actum.

§. XIX.

Affirm. de illis, quæ extra ambitum eccleſiæ ſita.

Quodſi vero bona illa dotalia extra limites eccleſiæ, vel parochiæ ſita ſint, & intra fines alterius eccleſiæ, vel parochiæ, cui jus decimandi alias competit, deprehendantur, aliter res paulo ſeſe habet. Equidem licitum eſt, conſenſu Epiſcopi eccleſiam novam ædificare, & dotare ex bonis, ubicunque ſita ſunt: providendum tamen omnino eſt, ut eccleſiæ antiquiores, propter novam, ſuam juſtitiam, aut decimam non perdant, vel decimis priventur, ut habetur *in C. 43. 44. C. 16. q. 1. C. 34. X. de Decim.* & ideo dotatio iſta non poteſt fraudi eſſe illis, qui antiquius jus, quoad exactionem decimæ, habent. Nec debet diſcooperiri unum altare, ut aliud cooperiatur. Quorſum pertinent varii textus *in c. 3. 4. ult. X. de decim. Rebuff. de decim. qv. 5. §. 19. Caniſ. d. l. c. 6. n. 2. Azor. Inſt. moral. d. l. p. 867. Fagund. V. Prac. Eccleſ. Lib. 1. c. 7. n. 1. Wameſius de jure Pontif. concl. 439. n. 8.* Sane eccleſia nova inique ageret, ſi cum alterius detrimento lucrum ſentire vellet: quod tamen nulla eccleſia, quæ cultrix & auctrix juſtitiæ eſt, ut *Feudiſta* etiam loquitur *1. Feud. 13. Azor. d. l. p. 867.* pati, vel committere debet. Pertinet huc locus ex *Gofridi Windocinenſ. Epiſt. 41. Lib. 3.* ad Epiſcopum Sanctonienſem: *Nobis dictum eſt, quia dicitis, quod eccleſia non debeat decimam dare. Hoc verum eſt, ubi eccleſia nihil habet in parœcia alterius eccleſiæ. Ubi vero eccleſia in alterius eccleſiæ parœcia poſſeſſionem aliquam habet, vel quippiam, quod decimari debeat, illi eccleſiæ decimam reddere debet, ſi illud iſta poſſidere deſiderat. Hoc tenet Italia. Hoc tenet Gallia; ibi enim novimus, eccleſias eccleſiis decimas reddere, & ma-*

& majores minoribus & minores majoribus, ubi altera earum possessionum obtinet in jure alterius. Tellez. ad c. nostr. 2. Exceptio tamen foret eo casu, ubi ecclesia illa antiquior expresse remisit jus decimandi, & quidem eo modo, quem jura exigunt, *Rebuff. d. l.* vel tacite per præscriptionem, *Canis. d. l. c. 17. num. 19. D. Böhm. de Jur. Paroch. S. IV. c. 1. §. 12.* vel alia ratione exemtio quædam doceri queat, ut privilegio, consvetudine &c. *Canis. d. l. Stryk. ad Brunnem. Jus Eccles. Lib. II. c. 6. §. 15. Ziegler. ad Lancell. II. 26. 15. Barbos. Jur. Eccles. III, 26. 3. n. 64.* Est etiam exceptio quædam specialis quoad *monachos.* Hi quidem regulariter ex prædiis monasterii sui intra fines ecclesiæ alterius sitis decimas præstare debent *c. 3. & 4. X. h. tit. Clement. 1. de decim. Paschalis II.* tamen religiosis singulari privilegio decimas remisit laborum suorum, h. e. eorum prædiorum, quæ suis manibus, & sumtibus excolunt *in c. decimas. 47. c. 16. qv. 1.* Cui tamen postea derogatum est per *Hadrianum IV.* qui privilegium illud restrinxit ad *Cistercienses, Templarios, & Hospitalarios. c. 10. X. de decim.* cæteris vero monachis, ut de novalibus suis, quæ propriis manibus, vel sumtibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas non persolvant, indulsit. Quod idem fecit *Alexander III. d. l. c. 10.* Imo *Innocentius III. in Concil. Lateranens.* privilegium Cisterciensis ordinis ad prædia ante Concilium dict. acquisita restrictum esse voluit. *Canis. d. l. c. 6. n. 5. & 6.* Varia specialia Monachorum privilegia recenset *Barb. Jur. Eccl. L. III. c. 26. §. 3. n. 21. Conf. Fagnan. ad c. Nuper. 34. X. h. tit.* Sane hæc privilegia, quoniam jus tertii lædunt, quam maxime restringenda sunt. *Werndle de decim. L. 3. c. 2. p. 171. seqq.* Et ideo privilegium illud monachorum, cum respectu personarum ipsis indul- tum

Monachorum privilegium.

Privilegia circa decimas stricte interpretanda sunt.

tum sit, emtores, vel conductores eorum prædiorum, a decimarum præstatione non liberat, juxta *Rescriptum Alexandri III. in c. 11. X. de decim. junct. L. 68. ff. de R. J.* Docent etiam Dd. *ex c. 21. X. de V. S.* ejusmodi exemtionum privilegia, de non solvendis decimis, cum hoc temperamento accipienda esse, ne nimium lædant ecclesiam, cui alias debentur decimæ, & sic sufficiens sustentatio ministrorum ecclesiæ deficiat; quoniam non censetur concedens in dubio beneficium conferre in grave præjudicium alterius, *arg. L. 2. C. de prec. imper. offerend.* & ne quidem in leve, nisi id diserte exprimat. *c. quamvis 8. de Rescript. in 6. Canis. d. l. n. 10. conf. Werndle Lib. III. c. 2. p. 177.* Imo nec Pontificem tale privilegium concedere posse, quo clerici, quibus ex decimis assignata sustentatio, decimis priventur, & alimenta illis auferantur, tradunt ipsi Canonistæ, Aulæ Romanæ addicti. *Barb. Jur. Eccles. L. III. c. 26. §. 13. n. 13. ibique allegati.* A quibus vero talia privilegia concedi possint, late tractant Dd. & post eos *Werndle L. III. c. 4. q. 3.*

§. XX.

Quid juris circa augmenta dotis?

De prædiis vero, quæ voto & pietate fidelium ecclesiis jam fundatis, & dotatis accedunt, vel etiam ex facultatibus ecclesiæ comparantur, nunc dicendum est. Distingvamus autem hæc bona, ut antea factum, a se invicem, ut vel sita sint intra ambitum ecclesiæ, vel parochiæ, vel extra illum. De prioribus eadem dicenda videntur, quæ dicta sunt *Thes. XVIII.* de ipsis bonis dotalibus ecclesiæ: a quorum ratione participant hæc bona, prout alias dotis privilegiis gaudet augmentum dotis *L. 4. ff. de jur. dot. L. 8. C. de jur. dot. N. 97. c. 3. arg. L. 26. §. 2. ff. de pact. dotal. Carpz. P. 1. C. 28. D. 64. n. 5.* Itaque si Rectori ecclesiæ e. c. parocho, ut parocho, fundus ejus-

ejusdem ecclesiæ decimalis legatus fuerit, ad perpetuum usum omnium successorum, obligatio ad præstandas decimas extincta est, & inepte parochus a se ipso exigeret decimas. Pariter si ærario ecclesiastico decimæ ex fundo aliquo debentur, illeque fundus ipsi acquisitus est ecclesiæ, exactio, & præstatio decimarum cessat ob eandem rationem. Sed fac, fundum, qui parocho decimas præstat, ærario ecclesiastico, vel diacono, vel alii inferioris ordinis clerico ejusdem ecclesiæ, & quidem ut clerico; vel etiam fundum, qui præstat ærario decimas, parocho ut tali, legatum, vel alio modo acquisitum esse, atque hac ratione ad patrimonium ecclesiæ accessisse: quæritur, an etiam tunc exactio, & præstatio decimarum cesset? Affirmandum hoc esse videtur ob easdem rationes, quibus usi sumus *d. Thes. XVIII.* Sed observandum tamen, inter istam speciem, & hanc nostram, discrimen quoddam. Superiori loco locuti sumus de prædiis, quæ statim in fundatione ecclesiæ, vel separatione parochiarum intra ambitum earum, cuilibet tanquam dos assignata sunt, vel in usum specialem ministrorum ecclesiæ, vel in usum totius ecclesiæ, & ærarii ecclesiastici. Omne jus, quod ecclesia, vel clericus in hisce bonis habet, ex fundatione, & ista prima dotatione habet; antea autem neutri jus aliquod fuit: sic nec clerico, nec ecclesiæ aliquid decedere potest. Dum itaque hac lege talia bona data, ut tanquam bona dotalia ab omni præstatione immunia sint, nec parochus ab ecclesia, nec ærarium ecclesiasticum a parocho decimas exigere potest. Sed si bona postea acquirantur, jure decimandi, quod hic, vel iste clericus, vel ærarium ecclesiasticum jam ante habuit, ob mutationem istam, & no-

vam

vam acquisitionem, clericus, vel ærarium excidere nequit, quod illæ rationes exigunt, quæ § XIX. sunt congestæ. Atque adeo illa fictio unitatis personarum, de qua §. XVIII. diximus, tantum efficere non potest, ut jus quæsitum alicui auferatur. Itaque, qui antea jus exigendi decimas habuit, & inposterum illud habere, illoque gaudere debet. Multo magis autem res ita sese habet, si prædia, quæ clericis, vel ecclesiæ noviter acquiruntur, extra ambitum ecclesiæ hujus sint sita; ubi sine omni dubio res in pristino statu manet, atque illis, quibus antea decimæ debebantur, adhuc præstari debent, ob ea, quæ §. XVIII. diximus *Tellez. ad c. nostr. Brunnem. ad L. 5. C. d. SS. Eccl.* Quodsi forte contingat, clericum, vel ecclesiam jus decimandi prædia intra fines alterius ecclesiæ sita, præscriptione, vel alia ratione acquisivisse; & illa prædia postea ad patrimonium ecclesiæ decimantis pervenerint, idem dicendum esse putamus, quod dictum est de prædiis intra limites ecclesiæ, vel parochiæ sitis, ad patrimonium ecclesiæ accedentibus.

§. XXI.

Quid juris circa personales decimas?

Age, nunc videamus de *decimis personalibus*, quæ ex iis proventibus deducuntur, & præstantur, qui non ex fructibus terræ, vel animalium, sed ex propria cujusque solertia obveniunt, quales sunt reditus ex officio, munereque, negotiatione, artificio &c. de quibus agitur *in c. 56. 66. c. 16. qu. 1. c. 20. X. de decim. C. significavit X. de parochis & parochian. Thomas. d. l. art. 2. Laymann. Theol. moral. Lib. 4. tract. 6. c. 1. n. 4. Barb. Jur. Eccles. Lib. 3. c. 26. princ. n. 9.* & post alios *Werndle Lib. 1. c. 2. p. 6. & Lib. 2. c. 1. p. 35.* Quæ personales decimæ illi solum parochiæ debentur, in qua quis ecclesiastica Sacramenta percipit, *d.*

c. 20.

c. 20. verf. noveris X. de decim. vel faltem percipere debet, *c. 2. X. de paroch. Vallenf. h. t. de decim. §. 6. n. 7.* quæ præferenda ei, ubi divina tantum audit. *Barb. de jur. ecclef. L. 3. c. 24. n. 24.* tametfi lucrum alibi contigerit. *c. fignificavit 5. X. de paroch. Lancell. Lib. 2. tit. 26. §. 4.*. Quid fi id in una parochia æftatis tempore, in altera hyeme fiat, æqualiter dividendas effe volunt. *Innoc. Butr. ad c. 2. X. h. tit. Fagnan. ad C. cum contingat 29. X. h. tit. n. 56.* nifi fortaffe lege, val confvetudine, vel alia ratione aliud introductum, ceu diximus §. *XIV.* de prædialibus decimis. *Covarruv. Lib. 1. Refol. 17. n. 8.* Quod fi ergo quæras, utrum perfonales has decimas clericis clerici dare debeant, vel ad quamnam partem *noftri C.* hæ decimæ pertineant? diftingvendum eft inter *fructus, vel reditus beneficiorum*, feu illos, qui ob minifterium ecclefiafticum acquiruntur; & inter *reditus titulo temporali acquifitos.* Ad priores pertinent præcipue decimæ femel perceptæ a clericis jure clericali. De quibus pars prima noftri textus etiam intelligi poteft, & debet, ita nempe, ut clerici ad alteram decimationem iftarum decimarum perceptarum, aliis clericis non teneantur, exemplo Levitarum, qui in veteri teftamento non leguntur a fe invicem decimas exegiffe, *Rebuff. qu. 5. n. 6. Azor. Inft. moral. P. 1. L. 7. c. 24. verf. Quinto quæritur. Fagundez. Præc. V. L. II. c. 2. n. 1. Barbof. Jur. Ecclef. Lib. 3. c. 26. §. 3. n. 8. Canif. ad tit. de decim. c. 6. n. 4.* Et fane percipiuntur decimæ a clericis, non quatenus ut parochiani fpectari poffunt, fed quatenus ut miniftrantes fpiritualia confiderantur, ob quæ minifteria accipiunt decimas. Iniquum ergo foret, illis fubtrahere, quod ad fuftentationem eorum deftinatum eft. Atque hæ rationes efficiunt, ut idem dicamus

Diftingv. inter reditus.

Ex reditu beneficiorum non dantur decimæ.

mus de omnibus proventibus, qui ex beneficiis ecclesiasticis v. g. ex præbenda, percipiuntur a clericis, etiam minorum ordinum. *Zœsius ad tit. de decim. §. 6. vel ex juribus Stolæ Fagund. Præc. V. Eccles. Lib. 2. c. 3. n. 5.* ut adeo non opus sit devenire ad illam quæstionem, an canonici fructus præbendæ faciant suos? quorsum dilabitur *Abbas Panorm. ad c. 2. nostr.* vel confugere ad consvetudinem, ut facit *Azor. loc. sæpius alleg. v. 7. quæritur.* Plane notum est, ad exemplum Pontificis summi apud Judæos, Episcopos quartam partem decimarum prædialium, quas exigunt parochiales ecclesiæ, vel capellæ, sibi jamdudum vindicasse, in signum quoddam subjectionis *c. 4. X. de præscript. Tuschus. voc. decimæ Concl. 76.* qua de re late agit *Prosp. Fagnan. ad C. quoniam 13. X. de decim.* Latius tamen hac parte progressi Episcopi, quam Sacerdotes Judaici. Dabatur enim decima decimarum summo Pontifici, ut inter cæteros sacerdotes eam divideret, *Num. 18. vers. 26.* non ut in solius Pontificis usum cederet, sed & alii sacerdotes aliquid ex ea perciperent. vid. *Strauch. Amœnit. Jur. Can. Eccl. 9. c. 4. p. 70.* Sed Episcopi quartam decimalem exigunt, & eam sibi solis tribuunt. *Ziegler ad Lancell. Lib. 2. tit. 26. §. 18. Linck. d. l. §. 9.* Imo & Romani Pontifices facultatem exigendi decimas, si visum, sibi vindicant. *Clement. ult. de decim. & Extravag. eod. tit.* *Naturalis enim ratio*, ut ait *Thomas II, 2. qv. 87. art. 4. dictat, ut illi, qui habet curam de communi multitudinis statu, provideatur de bonis communibus, unde possit exequi ea, quæ pertinent ad communem salutem. Tusch. Concl. 83. voc. decimarum. Fagund. V. Præc. Eccles. Lib. 2. c. 2. num. 13.* Hæc ita ex hypothesi illorum, qui Ecclesiæ Romanæ addicti sunt, dicuntur, quæ excutere hujus loci non

An summus Pontifex exigere decimas queat?

non eſt. Jam ſupra vero diximus §. *VIII. Clementis IV.* tempore, quid in Germania circa hos Pontificis auſus contigerit. *Conf. Schilter. de libert. Eccleſ. Germ. Lib. 5. c. 10. §. 5.* Mentio eſt etiam ibidem facta litis de decimis Thuringiæ, tempore Henrici IV. exortæ, & in Synodo Erfurtenſi in diſcuſſionem vocatæ, de qua agit *Schilter. Lib. 4. c. 1. §. 24. de libert. eccleſ. Germ.* Majori vero jure Imperator, & quilibet Princeps, ſi neceſſitas urgeat, vel abundent clerici bonis, ex reditibus eccleſiaſticis a clericis quædam exigere poteſt. Qua de re actum in *Præſid. Jur. Publ. Prud. C. XLI. §. 19. 25. pag. 341. & C. LIX. §. 12. p. 633.*

§. XXII.

Quod vero ad reditus ex temporali titulo, vel cauſa acquiſitos attinet, diſtingvere ſolent Dd. inter illos clericos, qui ſunt *eccleſiarum Rectores*, & *ſacramenta aliis diſtribuunt*; & inter illos, qui *eccleſias non regunt, & ſacramenta aliis non diſtribuunt*, *adeoque clerici ſimplices* dicuntur. Ad priorem claſſem referunt primo ſummum Pontificem. Etſi enim hic, ut verus Chriſtianus, ſacramenta recipere tenetur, non habet tamen in terris ſuperiorem, cui ratione ſacramentorum ex officio ſubdatur, *Fagundez. V. Prac. Eccleſ. Lib. 2. c. 2. num. 11.* Pariter ad eandem claſſem referunt Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Prælatosve alios, Parochosque. Nam licet inter hoſce quædam ſit ſubordinatio, neutri tamen jus eſt in alterius diœceſi, vel parochia decimas in genere exigendi; & ſic deficit obligatio etiam perſonalis ad decimas has præſtandas. Equidem Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Prælati & Parochi ſacramenta quoque ab aliis recipiunt, atque ſic æquum

Præſtantur decimæ ex reditu temporali; ſed cum diſtinctione.

videtur ex illis, quæ thesi præcedenti diximus, decimas tales personales ex reditibus temporalibus illis præstari, a quibus sacramenta accipiunt, vel interdum etiam doctrina cœlesti imbuuntur, quorumve adeo laboribus spiritualium utuntur ministeriorum. Movent hoc dubium passim Canonistæ. Sed respondent, Episcopos a vicariis suis, vel ab aliis clericis sacramenta recipere, vel doctrina cœlesti imbui, non ac si essent his officii ratione subditi, sed tanquam a cooperatoribus, vel tanquam electis ad eum actum. *Fagundez. d. l. numer. 15.* id quod etiam ad Papam, & Archi-Episcopos applicari solet. Atque licet Episcopi suffraganei Archi-Episcopis, hique Papæ subjiciantur, & subordinentur: nolunt tamen illam subjectionem, & subordinationem tantam esse, ut hæc obligatio ad hasce personales decimas inde oriatur: cum præsertim Episcopi ab Archi-Episcopis, vel hi a Pontifice summo nunquam vel raro sacramenta recipiant: ad quam rem esse primario huc respiciendum, supra dictum. Ob quam causam etiam Episcopi a Parochis has decimas exigere non possunt. *Fagund. d. l. num. 14. 15.* Cæterum parochum dicunt recipere sacramenta ab alio parocho, non, quod ille huic subdatur ratione curæ animarum, sed quod hic ab isto ad hunc actum sit electus. *Conf. Zœsius ad tit. de decimis. numer. 20. Barbos. de jur. eccles. L. 3. c. 26. numer. 11.* Quicquid sit de istis Canonistarum rationibus, verissimum est, & illos, qui ecclesias regunt, suo modo ad oves, qui verbo divino & symbolis sacris vescuntur, referendos esse, & sic ab aliis quoque recipere spiritualium ministeriorum labores. Quoniam tamen eosdem labores iisdem, a quibus accipiunt, inter-

interdum etiam impertiunt, ut in noſtris eccleſiis a collegis ſacri miniſterii, vel a vicinis paſtoribus mutuam operam in confeſſionibus, & adminiſtratione ſacræ cœnæ ſibi invicem præſtantibus, fieri ſolet. *Carpz. Jurisprud. Eccleſ. Lib. 2. Def. 293.* æquiſſimum eſt, nihil omnino præſtari harum decimarum nomine a clerico illi, a quo ſacramenta recipit, vel alia miniſteria ſacra. Quod ſi vero in diœceſi, vel parochia ſimplices clerici reperiantur, vel etiam monachi, qui ſacramenta non diſtribuunt, *Lancell. Lib. II. c. 5. §. 3.* ſed a Rectoribus eccleſiarum ſacramenta accipiunt, illi ad decimas perſonales ex lucris temporalibus quæſitas tenentur, *Azor. d. l. verſ. 5. quæritur. Zœſius. d. l. n. 22. Fagund. d. l. n. 5. Tellez. ad h. c. noſtr. circa fin. alii ibid. alleg.* Quoad hoſce enim reditus clerici, non, ut clerici conſiderandi ſunt, maxime vero, non ut tales, qui ſacramenta aliis impertiunt, ſed quatenus ab aliis ipſi recipiunt ſacramenta. Atque ideo hæc ultima ſpecies partinet ad partem ſecundam *c. noſtr. 2.* uti prior ſpecies ad partem priorem, ejusque ampliationem; vel ad exceptionem propoſitionis in parte poſteriori comprehenſæ. Repetenda tamen hic ſunt ea, quæ de monachorum privilegiis §. XX. diximus. Sed, ut jam ſupra præcepimus, harum perſonalium decimarum nec inter Catholicos hodie uſus eſt; nec inter noſtrates. Quod enim *B. Brunnem.* religioſiſſimus JCtus *Lib. 2. c. 6. §. 3. in Oper. ſuo Jur. Eccleſ.* habet, uſus non probat: incertum etiam eſt, quomodo verba, *ſed id univerſaliter non intelligo*, intellecta velit. Procul dubio hypotheſin ſuam ſecutus eſt, quam *Theſ. 2.* profeſſus, quamve privata praxi teſte *B. Stryk. ad hunc loc.* comprobavit, dum

Non uſus perſonalium decimarum.

existimavit, decimam jure divino universali niti, & omnium suorum redituum, imo salarii quoque, & accidentalium præcise decimam ad pios usus, licet clam, impendit. Quod quidem pium omnino fuit, & christianum: nulla tamen necessitate absoluta, vel mandato divino ex nostra hypothesi innititur. Summa vero eorum, quæ diximus, paucis hæc est: *Clericum clericum non decimare intuitu prædiorum Ecclesiasticorum dotalium, vel illis accedentium intra ambitum ecclesiæ sitorum, nec intuitu redituum ex munere ecclesiastico, nec etiam suo modo redituum ex temporali titulo, scil. respectu illorum, qui regunt ecclesias; clericum vero clericum decimare respectu prædiorum ad privatum patrimonium pertinentium, vel bonorum dotalium, aut his accedentium extra ambitum ecclesiæ sitorum, vel etiam, si minores clericos respicias, redituum temporalium.*

Summa dictorum.

§. XXIII.

Hæc ita, ex instituti ratione, dicta sufficiant, *de clerico clericum non decimante.* Plura, & meliora dici potuisse non negamus; sed nunc quidem in his subsistendum fuit. Locuti sumus aliquoties ex hypothesi Canonistarum, quorum tamen asserta haud aliter nostra facimus, quam si cum recta ratione, & veritate revelata conveniant. In universum vero antequam finiamus, observandum est, æquitatis rationem exigere, ut, quod de decimis diximus, ad alia quoque porrigamus, *jura nempe stolæ*, sive emolumenta ista, quæ parochis obveniunt occasione præstiti officii sacri, veluti absolutionis, baptismi, benedictionis, precum publicarum, proclamationis, concionis funebris

Jura stolæ.

nebris &c. de quibus agit late *Dominus Bohmerus de jure Paroch. Sect. VI. c. 2.* Quæ quidem jura Stolæ multis abusibus obnoxia sunt, & licet honeste accipi possint, pleraque tamen parum honeste petuntur; in ecclesiis vero nostris ex necessitate quadam tolerantur, quod alioquin necessaria subsidia vitæ ecclesiæ ministris fere desint. Jam dudum vero improbata sunt tempore *Innocentii III. in Concilio Lateranensi, Cap. 42. X. de Simon. comp. B. a Seckendorff. in Statu Christianismi Lib. 3. c. 6. §. 4. Dn. Böhmer. d. l.* Quodsi itaque clericus clerico officium tale præstat, propter quod alioquin sub titulo juris stolæ aliquid exigi posset, vel præstari solitum: æquum est; gratis id fieri, quoniam idem officium ab alio expectat. Id quod præsertim locum habet inter ejusdem ecclesiæ ministros, vel vicinos etiam pastores, vel illos, qui sub eadem diœcesi labores sacros administrant. Quod praxis passim comprobare solet. Existimamus tamen, etiam si forte ab exteris minister ecclesiæ ad ecclesiam perveniat aliam, & operæ sacræ egeat, eandem æquitatem exigere, ut ob communionem sacri ministerii συνεργῷ eadem opera gratis præstetur.

§. XXIV.

Denique operæ pretium existimavimus, adjicere responsum inclyti Ordinis Juridici hujus Academiæ illustris, cujus mentio facta *§. VIII. p. 16.* Conscriptum id est ab illustri viro, B. STRYKIO.

P. P. Hæ

P. P. Haben J. Königl. Majest. in Schweden Regierung des Hertzogthumbs Bremen, durch ein offenes Edict von 31 Januar. 1691. publiciren lassen, daß ein ieder Besitzer derer Zehenden in besagten Hertzogthum seine dißfalls in Händen habenden Documenta, und Uhrkunden binnen 6. Wochen bey der Königl. Regierung sub pœna privationis einschicken solle, deßhalb Zweifel entstehet, ob nach Anleitung der Deutschen Rechte, die præsumtion dahin zu fassen, daß alle in denen Hertzogthümern Bremen und Vehrden vorhandene Zehenden pro Ecclesiasticis, und also folgends pro publicis territorii Domino ejusdemque Cameræ competentibus, keine aber pro secularibus, oder privatis zu achten seyn, so lange bis die qualitas secularitatis, aut competentiæ privatorum wie Rechtens erwiesen?

Ob nun zwar nicht geläugnet werden mag, daß das Päbstl. Recht ratione Decimarum, allezeit im Römischen Reiche bis zu der eingeführten Evangelischen Religion beständig observiret, nachhero auch ein anders in Deutschland öffentlich nicht eingeführet worden, nach solchen Recht aber ohn streitig, daß die Decimæ denen Kirchen und Geistlichen allein zustehen, die Laici hingegen derselben unfähig,

Cap. Quamvis 17. X. de Decimis.
C. Causam 7. X. de Præscript.

es wäre denn, daß Sie solche Zehenden bereits ante Concilium Lateranense gebührend an sich gebracht hätten.

C. Cum plantare 3. X. de Privileg.
Dd. in C. Prohibemus 19. X. de Decimis.
Barbos. de Episc. P. 3. Alleg. 121. n. 4.
Rosenthal. de Feud. c. 4. concl. 27. n. 1.

Denn wenn solches ermangelt, mögen die Laici einige Decimas nicht besitzen, wenn sie gleich ex Concessione Episcopi dieselbe erhalten.

Rebuff. de Decim. qu. 5. n. 32. & qu. 13. n. 37.
Azorius d. Instit. Moral. P. 1. L. 7. c. 36. qu. 11.
Redo. m. de Rebus Eccles. non al. qu. 64. n. 8.

Ubi

Ubi vero Lex possidenti resistit, bona fides ipsi nihil prodest.

L. Ubi L. 24. ff. de Usucap.

Deßhalb ein ieder, welcher Geistliche Güther besitzet, sich mit der Possession nicht schützen kan, sondern er ist zu erweisen verbunden, daß er solche rechtmäßig erlanget.

Covarruv. ad C. Possessor. P. 2. §. 10. n. 9.

Pacian. de Probat. L. 1. c. 61. n. 36.

Dennoch aber, und dieweil die Päbstl. Rechte nicht überall in Deutschland so fort gleiche auctorität erlanget, indem die Deutschen Kirchen ihre Freyheit von denen Päbstl. Auflagen nach aller Möglichkeit defendiret, wie sie denn insonderheit die Decimas denen Bischöffen zu bezahlen sich geweigert, auch die von Adel in Sachsen sothane decimas ex concessione Caroli M. erhalten,

Aventin. Lib. 4. Annal. Centur. Magdeb. L. 9. c. 9.

und also solche bis zum Concilio Lateranensi. Anno 1179. nicht alleine geruhig besessen, sondern auch nach der Zeit bey solcher possession verblieben, wohin der textus Juris Canonici gezogen wird.

in C. In aliquibus. 32. X. de Decimis.

ubi Innocentius III. qui viginti annis post Concilium Lateranense Pontifex factus, fatetur, in aliquibus regionibus gentes quasdam pro suis ritibus decimas non solvere, welches fast alle Dd. de Saxonia verstehen.

Gryphian. d. de Coloss. Weichbild. c. 30. n. 4. seqq.

Deßhalb auch in denen alten Sächsischen Rechten nirgends gegründet ist, daß die Decimæ denen Geistlichen gebühren, sondern was daselbst de Decimis gedacht worden, solches allein ad Decimas Laicorum zu referiren.

Gloss. in Land-R. *Lib. 2. Art. 48.*

Gryphian. d. c. 30. n. 11.

Wie denn auch, da Clemens IV. Pontifex fast 90. Jahr nach dem Concilio Lateranensi die Decimas sub pio prætextu, daß er solche ad liberationem terræ sanctæ anwenden wolte, gefordert, Johannes

Teutonicus, oder Semeca in Halberstadt sich darwieder gesetzet, und pro libertate Germanorum ad Concilium appelliret.

Schilter. de Libert. Eccles. German. L. 5. c. 6. §. 5. seqq. & c. 10. §. 5.
Alb. Krantz. Lib. 8. Saxon. cap. 27.

Also, da die Nobiles in Saxonia in possessione Decimarum ante Concilium Lateranense unstreitig gewesen, und durch solch Concilium die Laici in Possessione Decimarum tunc temporis possessarum geschützet worden;

C. 19. X. de Decim. C. 34. X. eod.
C. Cum plantare X. de Privileg.
Rosenthal. de Feud. cap. 4. Concil. 27.

So erscheinet daraus so viel, daß die in Sachsen, und also auch in Hertzogthum Bremen befindliche Decimæ so lange pro secularibus zu achten, und also die Besitzer darbey zu schützen, bis die qualitas Ecclesiastica gebührend erwiesen.

Auf die 2. 3. und 4te Frage sprechen wir vor Recht: Will die Königl. Regierung in denen Hertzogthümern Bremen und Vehrden nahmens J. Königl. Majest. als einer der Augspurgischen Confession zugethanen Hohen Landes-Obrigkeit in denen deroselben durch den Westphälischen Friedens-Schluß eingeräumten Teutschen Provincien vi superioritatis territorialis gegründeten Anspruch auf alle in solchen territoriis befindlichen von Augspurgischer Confession verwandten Unterthanen besitzende Zehenden, dergestalt machen, daß, welcher Unterthan keinen rechtmäßigen Titulum dociren könte, so fort seiner Zehenden verlustigt seyn solte?

Ob nun zwar aus den Friedens-Schluß bekandt, wie das Ertz-Bischoffthum Bremen dergestalt in ein Hertzogthum verwandelt, daß der Cron Schweden alle denen vorigen Ertz-Bischöffen zustehende Jura so wohl in ecclesiasticis, als secularibus bonis reserviret seyn sollen.

Instrum. Pac. Artic. 10. §. Tertio Imperator.

und

und dahero J. Königl. Majest. in Schweden vi superioritatis territorialis eben die Befugniß haben, die in gedachten Ertz-Stifft befindlichen Zehenden in Anspruch zu nehmen, als wenn Sie würcklich Ertz-Bischoff wären; Also auch, da die res Ecclesiasticæ ohne titulo nicht besessen werden mögen, sie sub pœna privationis die probationem tituli decimarum ihren Unterthanen zu impugniren sattsam berechtiget zu seyn scheinen.

Dennoch aber, und dieweil bey der ersten Frage bereits ausgeführet, daß die Laici in Saxonia ante & post Concilium Lateranense in Besitz der Zehenden gewesen, und also dieselben pro possessoribus incapacibus nicht einmahl de Jure Canonico geachtet werden mögen; Deßhalb folglich ein würcklicher Ertz-Bischoff in Bremen keinen Anspruch daran machen könte, immassen so wenig einem Magistratui Ecclesiastico Seculari denen Unterthanen ihr Jus semel legitime quæsitum ohne Verschulden weg zunehmen, oder sie so fort ad probationem juris semel quæsiti sub pœna privationis anzustrengen, frey gelassen ist.

Dd. in L. Nec avus 4. C. de emancip. liber.

Petr. Anton de Petra de. jur. quæs. per Princip. non tollendo. per tot.

So folget, daß daher auch die Königl. Schwedl. Regierung vi superioritatis territorialis Regi competentis einigen Anspruch an solche Zehenden zu machen, oder denen Unterthanen, welche in geruhigen Besitz solcher Zehenden sind sub pœna privationis die Erweisung ihres tituli auff zu erlegen nicht befuget sey.

Auf die 5te Frage erachten wir vor Recht. Obgleich die Decimæ jure ordinario pro rebus Ecclesiasticis gehalten werden, also daß dieselben a Laicis nicht besessen werden können, obgleich des Episcopi oder Archi-Episcopi expressus consensus hinzu komme.

Barbos. de Jur. Episcop. P. 3. Alleg. 121. n. 2.

und von dergleichen bonis, quæ regulariter sine solenni titulo possideri nequeunt, bekandt, quod sola possessio neminem relevet, sed possessor titulum edere Principi petenti teneatur.

Pacian. de Probat. Lib. 1. c. 61. n. 36.
Hercul. Marescott. Lib. 1. Variar. Resol. c. 59. n. 15.

adeo, ut talis possessor, cui resistit juris communis præsumtio, non sit manutenendus,

Gratian. Discept. Forens. cap. 441.
Hect. Capisc. Later. Decis. 23. n. 13.

Et sic in specie possessor regalium, si ad instantiam Fisci titulum edere nolit, possessioni privari potest,

Valasc. de Jure Emphyteut. Qu. 8. n. 22.
Knichen. de Jure territorii cap. 5. n. 12.

sicut & Episcopus facere potest Edictum, ut quilibet ostendat suos titulos sub pœna privationis.

Pacian. d. cap. 61. in addit. lit. L.

Dennoch aber, und dieweil offt berührtes Principium Juris Canonici, quod Laici decimas possidere plane nequeant, bey denen Evangelicis nicht angenommen, sondern vielmehr das contrarium unstreitig ist, daß die Decimæ von andern bonis Ecclesiasticis nicht mehr unterschieden.

Joh. Goedd. Consil. Marp. Vol. 4. Cons. 50. n. 92.

und dahero, wie ein Laicus per præscriptionem quadraginta annorum andere bona Ecclesiastica an sich bringen kan.

per Novell. 131. cap. 6.
Authent. quas actiones C. de SS. Eccles.

Also auch es mit denen Decimis eben die Bewandniß haben muß, zumahlen da die Decimæ Saxonicæ über Menschen gedencken in derer Laicorum Besitz gewesen. Jam vero præscriptione immemoriali etiam illa acquiruntur, quæ alias regulariter præscribi non possunt,

Balbus de Præscript. P. 3. qu. 6. n. 61.
Barbos. ad C. super quibusdam 26. X. de Verb. Significat.

& in

& in specie ex immemoriali tempore possessionis decimarum nascitur præsumtio, quod Laici illas possederint ante Concilium Lateranense.

Rosenthal. de Feud. cap. 4. concl. 28.
Menoch. Lib. 6. Præsumt. 86.
Petr. Redoan. de Rebus Eccles. non alienand. qu. 63. n. 17.
Barbos. de Jur. Eccles. Lib. 3. c. 26. §. 2. n. 52.

Welches quoad Decimas Saxonicas um soviel gewisser, weil bey der ersten Frage angeführet, daß vor dem Concilio Lateranensi solche bereits denen Laicis zugestanden, dergestalt aber nicht gesaget werden mag, quod illæ decimæ sine titulo possideri nequeant, weil ex possessione tanti temporis ein titulus efficacissimus entstehet.

Cravett. de Antiqu. temp. P. 4. §. Absolutis C. 5. 9.
Vivius Commun. Opinion. Lib. 1. Opin. 242.
Molina de Primogenit. Lib. 2. Cap. 6. n. 52.

ferner auch ein iedes Edictum Principis, welchen die Clausula privatoria annectiret ist, terminos habiles præsupponiret, daß nemlich die possessio subditorum injusta, nam ad quod quis de jure non obligatur, ad illud nec sub pœna privationis adigi poterit.

So erscheinet daraus so viel, daß die Laici possessores Decimarum in Hertzogthum Bremen den titulum possessionis zu dociren nicht verbunden, vielweniger sub comminatione privationis darzu angehalten werden mögen.

Auf die 6te Frage sprechen wir vor recht; Obgleich de jure Canonico eine Verjährung von 30. 40. und 50. Jahren ad acquirendas Decimas nicht zureichet, hiernechst auch der Terminus instrumenti pacis, daß in bonis Ecclesiasticis auf den Besitz von 1624. zu sehen, auf die Controversias, so die Evangelischen Stände mit ihren Unterthanen, welche ebenfalls Evangelischer Religion, nicht zu appliciren zu seyn scheinet, indem daselbst von denen Unter-

terthanen, welche unter einer Herrschafft von anderer Religion gesessen, geredet wird.

Instrument. Pac. Art. 5. §. 30. & seqq.

Dennoch aber, und dieweil bey voriger Frage bereits ausgeführet, daß die Laici inter Evangelicos die Decimas so wohl als andere Geistliche Güther in 40. Jahren præscribiren können, und also vielmehr, wenn sie einen Besitz von undencklichen Jahren vor sich haben, solche gültig seyn muß, ferner auch die Kron Schweden dasjenige, was ein Catholischer Ertz-Bischoff von denen Evangelischen Edelleuthen, und Landsassen im Stifft Bremen nicht revociren können, ebenfalls ihnen nicht benehmen kan, zumahlen, wenn sie aus einen Catholischen principio, quod Laici Decimarum sint incapaces, sich ihres Rechts gebrauchen will, indem sie kein grösser Recht, als die die Ertz-Bischöffe gehabt, in gedachten Hertzogthum erhalten, aus dem Instrumento Pacis aber unstreitig, daß diejenige Geistliche Güther, welche die Evangelische Anno 1624. den 1. Jan. besessen, ihnen unter keinem prætext entzogen werden sollen, und dieses nicht allein von denen Evangelischen Ständen, sondern zugleich von denen Land-Sassen, Vasallen, und Unterthanen verordnet ist.

Art. 5. §. 31.

Wie denn auch insonderheit denen der Kron Schweden per Instrumentum Pacis überlassenen Unterthanen ihre einmahl erworbene Güther, und Jura expresse vorbehalten sind.

Instrum. Pacis Art. 10. §. ult.

So erscheinet daraus, daß die vom Adel im Hertzogthum Bremen bey den Besitz der Zehenden, welche sie 40. und mehr Jahre, insonderheit aber Anno 1624. geruhig besessen, ferner zu lassen seyn. V. R. W.

An
Herren Præsidenten/Land-Räthe/und
gesammte Ritterschafft des Hertzogthums Bremen.

AD

AD

NOBILISSIMUM DN. RESPONDENTEM,

IOHANNEM FRIDERICUM SEYFRIEDIUM,

LEISNICA - MISNICUM,

COGNATUM SUUM CHARISSIMUM, ATQUE AUDITOREM VALDE INDUSTRIUM.

GRatulandi necessitatem mihi imponit amicitia, & necessitudo, quæ mihi a teneris intercessit cum PATRE tuo optimo, florentissime SEYFRIEDE; tum & amor, quo te prosecutus sum per omne illud tempus, quo apud nos, in ædibus meis, es commoratus. Jucunda enim recordatio tum pueritiæ meæ, tum adolescentiæ animum subit, cujus utriusque annos una cum Parente tuo transegi, eadem disciplina, ab iisdem Præceptoribus, ac ille, imbutus. Quæ res constantis amicitiæ fundamenta posuit, nullo postea tempore fractæ, aut interruptæ; quamvis locorum intercapedine a nobis invicem fuerimus

mus ſegregati. Traxit iſta neceſſitudo animorumque conjunctio me in amorem tui, amici mei filium; atque majorem in modum traxit, quum viderem te paterna veſtigia premere, omnique cura, atque diligentia id agere, ut & probitatis, ac modeſtiæ, tum & diligentiæ laudem merearis. Hanc vero quum conſecutus jam ſis, illamque & nunc augeas, quando in publicum prodis, & in nobili argumento doctrinæ, cui te mancipaſti, ingenii vires periclitaris: non poſſum non gaudere, atque de hac re ex animo gratulari tum & ampliſſimo tuo Genitori, tum & nobiliſſimæ familiæ tuæ, tum & tibi ipſi, quibus omnibus res bene ceſſit, quam & meam, pace veſtra, facere mihi licebit. Tuum erit pergere ſtrenue in ſtadio, quod ingreſſus es, plenoque gradu tendere ad metam, quam virtutes avitæ paternæque tibi defixerunt. Ita enim explebis vota tuorum feliciter, atque idoneum civem te patriæ reddes, & poſt fauſtum ſtudiorum exitum, ſuo tempore fructum ſenties uberrimum diligentiæ, & laborum. Ego vero DEVM ſupplex veneror, ut omnia iſta tibi bene eveniant! Vale.



PRÆSES.